

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

92

1.605

SII 1211

1847  
1656  
= 191

R.

~~No 264 b.~~

129.  
e.

Pharmacopœæ Spagyricæ

PARS SECUNDA.

De Vegetabilium, Animalium, & Mineralium præparatio-  
ne, per Solvens Universale.

*In quâ*

Clarè demonstratur; & exactè de-  
scribitur, quod Nitrum sit verum Sol-  
vens Universale, & quomodo omnia Vegetabi-  
lia, Animalia, & Mineralia eodem solvantur,  
corrigantur, & venenosa, ac noxia eorum  
dem proprietas in salubria medica-  
menta contrà multorum igno-  
rantium opinionem mu-  
tetur.


*Veritatem testandi, & proximo inservien-  
di causa sincero animo in lucem edita*

*à*

JOHANNE RUDOLPHO GLAUBERO.



*Otror.*



*Suéllo*

AMSTELODAMI;  
Apud JOANNEM JANSSONIUM;  
M. D. C. L. VI.

1999



# P R A E F A T I O

A D

## BENEVOLUM LECTOREM.



Va de causâ Pharmacopææ  
Spagyricæ pars hæc de Vege-  
tabilibus, Animalibus & Mi-  
neralibus secunda, maturius in  
lucem non prodierit, Lector Benevolus  
facili conjectura providebit, si iudicii sui  
sinceri lance perpenderit, quantas turbas  
scriptis meis hactenus editis mihi concita-  
verim, & quām prægnantes ideo causas  
habeam, ut à scriptione ejusmodi in poste-  
rum abstineam, & meipsum laboribus &  
molestiis, commodo aliis, mihi autem dam-  
no futuris, posthac non onerem.

Quoniam autem illa undique ab iis, qui  
tantæ rei desiderio flagrant, studiosa in-  
quisitione expetita fuit, & plurimi adhuc  
eam summa contentione requirunt, ægro-  
rum causâ eam diutius non supprimere,

P R A E F A T I O.

sed, ut communi Bono, ac in primis huma-  
no generi morbis infinitis cruciato, & re-  
mediorum penuria laboranti inservirem, in  
publicum emittere volui; non quidem pro-  
lixè, ut constitueram, sed quam brevissime  
fieri potuit, ac quatenus tantum Men-  
struum, vel Solvens Universale concernit.  
Atque id ea de causa, quod jam imperiti &  
crassi homines multis suggestionibus Mi-  
raculum Mundi à me editum roserint, ac  
ferè nemo comprehendere ac credere vo-  
luerit, quod in Nitro, creatura Dei tam  
Nobili, verum Solvens Universale in ve-  
niri queat. Ac quamvis in tractatu dicto,  
cui Miraculum Mundi titulus, omnia pun-  
cta, quæ continet, articulatim declarando  
ob oculos posuerim, reique possibilitatem  
aperte monstraverim, hactenus tamen  
parum profeci, adeò ut nulla lucis tam  
apertæ habita ratione plurimi Thomæ in-  
creduli, & veritatis oppugnatores se mihi  
oppo-

## P R A E F A T I O.

opponere conati sint. Quanquam autem illos usque de que habere, ac cuius suam opinionem relinquere, Veritatique sui ipsius tutelam permittere potuisse; Necessaria tamen remedia, & auxilium, quo miseri ægri maxime egent, facile nihilominus isto medio comparanda, ansam mihi & occasionem præbent, ut scriptis meis iterum prodeam, & clarius, quam hic usque feci, omnia detegendo in commune consulam. Nulla alia quam ægrorum causa negotium hoc suscepi, ut verum Solvens Universale, ejusque in Medicina usum nobilissimum aliquantò clarius describerem, & uniuscujusque oculis subjicerem, quam rudis, ignarus & hospes in luce Naturæ sit præsens hic mundus, & quanta astutia & impostura in tenebris vivat, & versetur, nihilque aliud conetur, quam ut lacem illam Naturæ clarissimam extinguat. Spes me tenet, inventum iri, qui

P R A E F A T I O.

relictâ pertinacis sui cerebri contumacia  
veritatem plurimorum ægrorum emolu-  
mento, & solatio arrepturi sint. Ut hoc  
fiat, Lux illa æterna, Deus noster Omni-  
potens, gratiam & benedictionem suam  
largiatur.



# Pharmacopææ Spagyricæ

## PARS SECUNDA.

# De Vegetabilium, Anima- lium & Mineralium præpara- tione per Solvens Universale.

*Quid Animalia sint, & quid iis intel-  
ligatur.*

**A**nimalium voce h̄ic omnia ea intelligenda, quæ vitâ & motu vitali fruuntur, ut sunt homines, omnis generis bruta, vermes, & insecta in & supra terram, pisces in aquâ, aves in aëre, & omnes creaturæ, quæ se movere possunt, & visibilis vitæ participes sunt. Inter has animales creaturas hoc discrimen tenendum, quod aliæ medicinali usui inserviant, aliæ verò ad medicinam ineptæ sint. Omnia enim animalia, quæ humaniū genus nutriunt, corpusque alunt, non medicandi sed nutriendi vim habent, adeò ut ex illis medicamenta morbis resistentiæ parari nequeant. Nam licet ex animalibus nonnullis, bobus, puta, ovi-bus, capris, hircis, gallinis, & avibus, ac aliis simili-bus artis beneficio Essentia bona extrahi possit, ut morbis debilitata corpora restaurent, & robo-rent, ut in meo de arte culinaria libello videre

est; labor tamen iste ad culinam potius ac coquos, quam ad Pharmacopœos ablegandus est. Itaque in hoc tractatu de nulla alia re agetur, quam de animalibus ejusmodi, quæ corpus humanum non nutriunt, sed comedunt, aut quovis modo ventrem aut alias humani corporis partes ingredientia veneno suo maximè nocent. Sed per Spagyricam artem inversa, optima medicamenta evadunt, & sine emendatione illa venenata & noxia manent. Talia sunt viperæ, serpentes, bufones, scorpiones, araneæ, & alia venenata insecta, quæ veneno suo spoliata, aut per artem mutata penetrantis efficaciam medicamenta evadunt. Serpens quidem & bufo, similiaque animalia venenata, communi aqua tantummodo decocta, veneno suo nudari, ac sine ullo damno comedunt, cum venenum ipsorum non in carne, sed in spiritu consistat, & sola decoctione evanescat. Exempla plurima hoc confirmant, quandoquidem in proposito est, anguillarum loco saepius serpentes coctos, & comedtos fuisse. In Indiâ certe novum non est, quod magnis serpentibus coctis, cibi loco, populi illi vescantur. E contrario alia inveniuntur animalia, ut scorpiones, tarantulæ, & similia, quæ sola decoctione venenum non deponunt, sed retinent. Si vero ejusmodi vermibus tam noxiō veneno imbutis fortioris efficaciam aqua, aut liquor addatur, in quo digerantur, venenum ipsorum in antidotum salubrem mutatum ipsi veneno resistit,

st̄it, ut postea probabitur. Hoc certum est, quod Omnipotens Deus ne minimum quidem vermiculum frustrā creaverit, qui commodum aliquid afferre non posset, quanquam à rudibus hominibus susque deque habeatur, & planè negligatur. Quoniam verò penè cuncti tales vermes, & infecta ejusmodi ob venenum suum raro ad medicandum adhibentur, ac ferè nemo occultas eorum vires ex signatura ipsis à Deo data agnoscit, aut agnoscere vult, usus ipsorum ignotus tenebris occultatus est. Imo bene factum est, cum venenum tale corrigendi, aut in medicamentum convertendi ratio maximam doctorum partem latuerit, quod ex apothecis usus eorum ejectus fuerit. Temporis tamen progressu ejus generis vermes nonnulli usum aliquem Medicis obtulerunt. Ejus farinæ sunt Scorpiones, Cantharides & alii similes. Scorpiones olivarum oleo suffocati proprium suum venenum domant. Cantharides, lumbrici, millepedes urinæ promovendæ adhibentur, non tamen sine periculo ob venenum, quo pollut. Ausi nihilominus sunt homines iis uti, idque saepius haud absque fructu magno. Si verò eorum emendatio innotuisset, iique correcti in usum adhibiti fuissent, sine omni periculo majorem usurpatoribus honorem conciliassent. Omnibus autem correctionis modum ignorantibus, talia animalcula exsiccata, & cruda in pulverem redacta ægris propinabantur, & maximo eorum periculo nonnunquam admirandas

curationes efficiebant. Si vermium talium signatura probè examinatur, ususque ad medicinam addiscitur, & postea ipsi Universalis Solventis adjumento convertuntur, ac in medicamentum tutum mutantur, remedia adeò tuta & efficacia evadunt, ut gravissimos, & opinione aliorum planè incurabiles morbos tollant, & vegetabilium operationes debiles multis modis superrent. Etenim Animalia, quæ Deus vita donavit, longè vegetabilibus virium efficacia præstare, haud difficulter quis crediderit. In meo de Animalium, Vegetabilium, & Mineralium Signatura libello propediem in lucem prodituro mirabilia invenientur, ac præter signaturam vires quoque ipsorum tam notæ, quam ignotæ & occultæ indicabuntur. In hoc autem tractatu præcipuum animalculorum ad medicinam adhibendorum, quo pacto Solventis Universalis opera emendari, & in optima, & tutissima medicamenta redigi possint, mentio tantum fiet. Eorum vires, & efficaciam ex aliorum scriptorum libris Benevolo Lectori petere integrum erit. Quamvis enim admirabiles in nonnullis vermibus haetenus neglectis vires offenderim, quas etiam in proximi mei commodum descripsisse, ut mihi illud prolixâ descriptione exequi proposueram, proximi tamen, quem multis ambagibus erroneis circumducere nolo, amor, quo minus id facerem, mihi impedimento fuit. Omnes enim rerum vires in omnibus vegetabilibus & mineralibus

libus sigillatim dispersæ ; cunctæ in uno minerali concentratæ , & perfectè unitæ inveniuntur , ita ut tot vegetabilium , animalium & mineralium medicamentis separatim opus non sit , quò etiam Lectorem benevolum remitto . Ut autem iis quoque satisfiat , qui à medicamentis ex mineralibus petitis abhorrent , & ea tanquam venenum aliquod reformidant , nonnullorum ex præcipuis animalibus ad medicinam idoneis virtus & potestas detegetur .

9

*De Scarabæi tauri , vel lucani , aut cornuti signatura , proprietate , & viribus in medicina .*

**E**X maximis & volantibus scarabæis mihi noti sunt , qui semiunciae aut unciæ pondus habentes castanearum colorem referunt , sex acutis pedibus rei alicui firmiter adhærent , & duplicatis alis vestiuntur : superiores duræ & læves sunt instar cornu ; inferiores admodum tenues , & pellucidæ sicut papaveris folia siccata cernuntur . Massæ mellâ plerunque major duobus armatur cornibus , ramis suis cervinorum cornuum figuram experimentibus , instar cornu duris & lævibus , ac intus sine medullâ cavis , quibus se defendit . In mensa virgulis saepius verberatus , laceffitus & ad iram provocatus aliorum animalium more in fugam se non conjectit , sed erexitis , & divaricatis cornibus hostem suum petit , de injuria sibi illata quasi vindictam

dictam sumpturus. Quicquid ipsi porrigitur, cornibus mox arripit, ac tām firmiter tenet ut ægrè ipsi extorqueri possit. Si quid nimis grave est, eo relicto abit; Sin leve, illud aufert, & ablatum posteā ex cornibus dimittit. Fæmellæ cornua duo sunt minora & curva, quæ forcipis instar aperta & clausa, quicquid apprehendunt, firmissimè constringunt, si quid porrigitur, cornibus illud, si durum non fuerit, tamdiu constringit, donec cornuum cuspides se mutuò attingant. Cati aut canis alicujus auri appensa mox eam perforat, tām firmiter adhærens, ut canis adherentem pedibus amoliri nequeat, &, quid sibi acciderit, nesciens, hinc inde discurrat, & clamando ac ejulando aliorum opem quasi imploret; tanta huic animalculo ira & malitia innata est. Gramine & arborum foliis, ut scarabæi alii, non vescuntur, sed solo mollium resinarum æstivo tempore ex arboribus fruges nucleos habentes ferentibus, quales sunt nuces, cerasi, pruni, mali persicæ, & similes, emanantium succo nutriuntur. His adhærentes resinam emanantem exsugendo vitam sustentant. Verè Martialis hæc animalcula perinde se habent, ac si à natura armis induta, & armata essent. Cornua decerpta quidam secum ferunt, quasi præsidio sibi futura contrà ferarum noxiarum impetus & invasiones, quod superstitionem judico. Quosdam cum alis in pulverem redacta eadem usurpasse, & ita internos corporis dolores & punctiones sanavisse, ac quartanas curasse,

curasse, imò in omnibus febribus collè appen-  
dissè scio, plus tamen commodi allatura arbitror,  
si debito modo præparata intra corpus sumantur.  
Quid autem in cæteris partibus corporis præsta-  
re queant, ignoro, nec hactenus comperi, quod  
ad alium aliquem usum adhibita sint. Certo ta-  
men mihi constat, saluberrimam huic insecto  
virtutem inesse, quippe quod resinosis illis succis  
vivit & nutritur, qui ex arboribus fructus nucleis  
præditos ferentibus effluunt, adeò ut Balsamicæ  
Naturæ totum ejus corpus esse censem, ac ex  
signatura ejus judicem, quod omnibus internis  
& externis læsionibus, à tundendo, feriendo, cæ-  
dendo, pungendo, & jaculando ortis, cum fructu  
curandis adhiberi possit, si prius mea methodo  
in essentiam redactum fuerit. Cornua, & alæ  
illæ duræ separatim in Magisterium redigi possent  
per Solvens universale ad internum usum, ac ip-  
sum corpus præparatum tam externè quam in-  
ternè ad omnes dolores sedandos admovendum  
esset. Procul dubio pluribus aliis viribus occultis  
pollet, quæ me & alios fugiunt.

### De Scarabæo pilulario.

**A**Lii etiam sunt Scarabæi in medicina utiles,  
nigri nempè, & pilularii, in equorum ster-  
coribus commorantes, ut & illi, qui in quercubus  
vivunt, cinerei coloris sunt, & gratum cibum  
gallinis præbent, quæ his vescentes plurima ova  
pariunt, sed ab illis abstinent. An hi poste-  
riores

riores aliquid ad medicinam adjumenti conferre soleant, me latet. Ita tamen cum iis comparatum est, ut contusi, & cuti nudæ impositi, aut alligati vesicas excitent, quod etiam faciunt, qui rosis & sambuci floribus insidentes aurei scarabæi appellantur. Uterque hanc potestatem internè & externe exercent, ut & Cantharides, seu muscæ illæ virides, quæ Hispanicæ nuncupantur, & vehementissimè urinam movent. His per artem mutatis si venenosa sua qualitas adimitur, in podagra, calculo, & aliis gravibus morbis tutò curandis proderunt, & multum commodi afferent. Nigri & pilularii scarabæi Martiales sunt, & scarabæis cornutis haud multum dissimiles. Cinerei Saturninæ naturæ, virides Venereæ, & rubri ac parvi solaris participes existunt. Hi ultimi apud Germanos aurei, & Domini Dei aviculæ vocantur, ex quibus nonnulli aurum probum in cineritio se expurgasse gloriantur, quod mihi verisimile fieri nequit. Cordis humani roborationem, seu Cordiale, ut vocant, in iis occultum esse, si præparatio aut correctio præcesserit, haud abnuerim: Crudis, & non emendatis uti haud libenter vellem. Præter enumeratos alia species est scarabæorum nigrorum, qui Majo & junio mensibus gramen perrepentes, priorum more volare nequeunt, quamvis alas parvas habeant. Tardi admodum in rependo, & manibus impositi grave olientem liquorem emittunt, & Maji aviculæ, ac adipis vermes Germanis, Scarabæi unctuosi

Latinis

Latinis dicuntur. Efficacissimè operantes à multis ad gravissimorum morborum, podagræ, Calculi, Lepræ, Morbi Gallici, & Hydropis curationem adhibentur, quorum in pulverem redactorum 1. 2. 3. aut plura grana in vehiculo aliquo appropriato propinantur. Vehementissimè per vomitum, secessum & urinam sordes expellunt, adeò ut urina podagricorum, leprosorum, aut calculo laborantium lactis instar coaguletur, aut sicut lapis, tenax evadat, & durescat, quod in admirationem jure aliquem rapere potest. Plurimos profectò podagra correptos pristinæ sanitati restitutos esse scio, quamvis medicamentum ob vehementiam virium periculo non careat. Sed prius per sal universale correctum tutissimè postea in dictorum morborum curatione applicari poterit. Wierus Medicus admodum doctus antehac de Arthritide vaga tractatum in lucem edidit, ac hunc vermem Majalem nonnullis dictum ut & lumbricos in curatione ejus mirè commendavit. Nec abs re est, quod omnibus ceteris virtute morbis medente præditis vermis hic noster longè antecellat. Eum longo intervallo sequuntur Cantharides, & has cœruleæ muscæ, quæ nullibi, quam in cadaveribus reperiuntur. Succedunt muscæ illæ grandiores apud homines in ædibus commorantes, ac tamdiu susurrando circumvolantes, & quærentes, donec crudam carnem inveniant, cui sordes suas instar minimorum ovoidum aut lendium immittunt, in vermes se unius diei

diei spatio mutantes. Vix ullam creaturam odo-  
ratu tam acuto & subtili præditam huic muscæ  
respondere credo, eaque de causa eam in occultis  
morbis vires suas exercituram non dubito; Nem-  
ni tamen author sum, ut eas usurpet, cum homine  
carnem talium muscarum sordibus inquinatam  
casu edente, ac excrementa illa in stomachum  
demittente, Natura ipsa eadem tolerare non  
possit, sed mox tanquam venenum aliquod per  
yomitum rejiciat. His muscis Mercurialem natu-  
ram assigno: Lumbricis etiam vires medicas inesse  
ajo: Fortiter enim urinam, & sudorem expellunt,  
ac crudi in usum adhibiti excrementa movent, &  
vomitus excitant. Sed solventis universalis cor-  
rectione in suavem essentiam transmutatos con-  
tra impotentiam specificum insigne futuros, ac  
Venerco ludo fessos insigni corroboratione re-  
fecturos esse confido. Indicio est signatura, & cor-  
poris figura ipsorum, qui modo in longitudinem  
se extendere, modo in brevitatem contrahere,  
jam in crassitatem expandere, mox iterum, &  
quandoque volunt, extenuare possunt, quod  
nullum aliud animal facere novit. Nec ullum ani-  
mal scio, quod in coitu femellæ tenacius adhæ-  
reat, quam hic vermis, quem sepissimè verno  
tempore, quando terra frigore soluto iterum  
aperta est, vidi non sub terra femellæ se jungen-  
tem, sed dimidio corpore ex terra erepentem, &  
femellæ parti dimidiæ, quæ ex terra quoque emer-  
sit, se applicantem, ac tamdiu cū illa laborantem,

donec

donec utriusque corporis omnimoda conjunctio facta est; In quo labore adeo pertinaces sunt hi duo vermes, ut occidi se potius quam separari patientur. Labore hoc Venereo peracto in cavernulas suas utraque pars se recipit. Gallinæ magna eorum copia vescentes quotidie ova, & quidem bina nonnunquam pariunt, quam fertilitatem ipsis frumentum nullum conciliabit. Vermis itaque ille terrestris sive lumbricus Venereâ Naturâ & proprietate dotatus est. Præter hos alii etiam sunt vermiculi ad venereum naturam longè procliviores, qui sex pedibus celerrimè currunt, & alas quidem habent sed iis non utuntur. Parvi & lati in muris & equilium ac hararum afferibus putridis magna copia concurrunt, ova sua in muris & lignis deponunt, sereno tantum cœlo se conspiciendos præbent, pluvio & frigido cœlo in latibula sua se recipiunt, sereno in conspectum redeunt, & nullo ordine coëunt. Masculum sibi insidentem fæmella ire pergens secum provehit, hunc fortior deturbat, & fæmellam quoque conscendit, ac iterum, ut prior, deturbatus novo equiti locum cedet, adeo ut ludo hoc equestri totus dies consumatur, & fæmella equitum mutatione indesinenti exerceatur. Cibo aliquo vesci non cernuntur. Eorum aliquot vitro inclusi, vitrumque ita obturavi, ut evadere nequierint; In ipsa captivitate actui suo Venereo indulserunt, ac tandem, sibi invicem insidentes, fame interire, quam separari maluerunt. Parvi sunt adeò, ut ipso-

rūm centum semiunciæ respondeant: Alæ ipso-  
rum rubræ maculis nigris distinguuntur. In cur-  
rendo sunt celerrimi. In scriptoribus nihil quic-  
quam de ipsis invenire potui. Canibus & catis in  
cibo comedendos dedi, & mirabilia comperi.  
Gallinæ & aliæ aves ipsis vesci nolunt, quoniam  
forsitan nimis vehementem ipsorum operationem  
perferre nequeunt. Singularibus dotibus præditi  
sint oportet, quarum qui periculum facere volue-  
rit, id quidem tentare poterit, ita tamen, ut sine  
correctione missos faciat, quippe veneno Vene-  
reo maximo inter omnes, qui mihi innotuerunt  
vermes, maximè excellentes. Varii adhuc alii su-  
persunt vermes in medicinâ faciendâ utiles. A sel-  
lis putria ligna nutrimentum præbent. Si tangas,  
in globulum se convolvunt. Calculo reprimendo  
ut plurimum adhibentur. Cimices colore rubro  
noctu homines divexant, sanguinem exsugunt,  
& in veteri ligno pineo, ac cubilibus antiquis ho-  
spitantur, ob fœtorem, quem emittunt, detestandi.  
Aliud talium vermium genus viridi colore, &  
veneno majore, turpiorem, quam rubri vermes,  
fœtorem reddit. Alis vestita hæc infecta cimices  
quater magnitudine excedunt & in gramine vi-  
tam degunt, ac frigida hyeme vivunt, in cavis  
arboribus, aut rimis murorum se abscondentes.  
Si casu bos, aut vacca cum gramine verinem ejus-  
modi abligurivit, intumescit, ac nonnunquam  
moritur, à quo tamen ita sibi cavere noverunt  
bestiæ illæ ut haud facile talem in ventrem recon-  
dant

dant. Hinc singulare quid in eo reconditum latere autumo propter mirabilem indolem , quam habet , cum fœtorem continere , & emittere pro lubitu possit , quod certis experimentis ex pertus sum. Admodum callidus & fallax est , quod mirabilibus historiis stabilire possem. Omnium versipellium , libidinosorum , venenatorum , & bestialium hominum indolem perversam exactè imitatur. In universali menstruo fœtorem illicè amittit ; sed quid ità correctus præstet , ulteriorè indagatione hactenus super sedens dicere nequeo. Horum ac similiūm insectorum proculdubio non frustrâ creatorum infinitus est numerus , quæ mutuo & hostili odio se invicem prosequentia mutuis etiam insidiis vitam extinguere conantur. Parvum novi vermem , qui lumbricorum succum & vires exsugens pinguescit , & ubique illo superior est. Verno tempore macilentus vermiculus blattas farina viventes magnitudine non æquat ; sed æstivis mensibus lumbricis se adeò saginat , & adeo pinguis redditur , ut vix repere valeat. Instar carbonis niger , multis & brevibus pedibus se movet , pennæ scriptoriæ crassitiem , & articuli in dígito longitudinem exæquat , sub terrâ morsu acuto lumbricum optimi succi ex eo fugendi causâ apprehendit , qui nulla defensione ipsum à se amoliri valens , præ anxietate è terra erumpit , hostemque adhærentem secum trahit. Hic firmissime adhærens nullo pacto abigi potest , ac tam diu fugit , donec succo fartus , &

plenus tandem ipse decidit. Sæpius hos vermes  
luctando se mutua convolutione tam diu agitare  
vidi , donec vermiculus lumbricum transversum  
morsu suo dividat , coalescentem tamen iterum ,  
si modo in terram pervenire potest. Hinc veteres  
lumbrici diversos ejusmodi morsus qui iterum  
coaluerunt , ostendentes hujus vermiculi maliti-  
am loquuntur ; Nam præter hunc & talpam ter-  
restribus hisce animalibus hostem alium esse ne-  
scio. Niger hic & Martialis vermiculus uno lum-  
brico confecto alium aggreditur , optimoque  
succo exhausto corpus viribus spoliatum relin-  
quit. Magnarum est virium , cæterisque omnibus  
vermibus virtutum suarum excellentia præferen-  
dus , si benè præparatus fuerit. De araneis multa  
prædicantur , quod veneno infecti sint , quod ta-  
men nunquam comperire potui in iis , qui annuo  
spatio crescunt , & iterum evanescunt , quales  
sunt , qui in arboribus , frutetis , & virgultis musca-  
rum capiendarum causa retia sua expandunt , &  
aranei crucigeri nuncupantur , quod crucem in  
tergo gerunt. Singulis mensibus veterem cutem  
deponunt , quod & ii faciunt , qui in ædium an-  
gulis , & foraminibus telas suas expandunt , &  
sine cibo & potu tres menses vivunt antequam  
moriantur. Hi quidem prioribus aliquanto pejo-  
res , non tamen tam venenati sunt ut quidem  
fertur , & creditur. Virides variorum generum ,  
qui gramine , & foliis vivunt , veneno carent om-  
nes , exceptis iis , qui in frigidis locis , puta cellis ,  
&

& humidis fornicibus commorantur , asellis se  
nutriunt , nigra & hirsuta cute holosericum refe-  
rente teguntur, tardo gradu incedunt,& tanquam  
omnium araneorum reges cæteros morsu occi-  
dunt , ac devorant , si in potestatem suam eos re-  
digere possunt. Si araneorum unus in alterius ni-  
dum conjicitur , fortior debiliorem expellit : Sed  
hos araneos cæteri sustinere nequeunt , præsen-  
tiam eorum horrentes , & summâ celeritate fu-  
gientes. Imò iis nec merulæ , nec aliæ aves , quibus  
cæteri aranei nutrimentum præbent , vesci solent.  
Tardè consenescentes multos annos in cella vi-  
vunt , utpote qui frigoris patientes sunt , & cutem  
cæterorum more non renovant. Ii quoque ve-  
neno imbuti sunt , qui hyberno tempore in hy-  
pocaustis muscas devorant , aut ad minimum dulci  
mellis , sacchari , similiusque retum fumo aut  
vapore aluntur , & ad senectutem perveniunt.  
Omnes hi ad medicinam raro usurpantur , quan-  
doquidem eorum in tanta bonorum medicamen-  
torum copia nemo indiget. Unicum hoc in ipsis  
commodum animadverti , quod gallinas ægras  
ita purgent , ut recuperata pristina valetudine  
mox postea vires resumant , & pinguescant. For-  
micæ arborum succis & resinis vitam sustentan-  
tes in medicina quoque in usum venerunt , pauca  
tamen miracula edentes. Locustæ , Grylli , & si-  
milia insectæ , licet viribus occultis prædicta sint ,  
tamen negliguntur , cum unicum minerale omni-  
bus magnis & paryis animalibus , vermis &

insectis plura efficere possit, adeò ut jure illa despiciantur. De magnorum animalium corporibus etiam nonnulla ad medicinam deponi solent, Lupi stomachum, intestina, & dentes: vulpes pulmonem, & alia animalia fel, pilos, cutem, excrements, cornua &c. offerunt, quibus tamen hactenus parum effectum est, eò quod partes sunt ejusmodi animalium, quæ veneno carentia hominibus alimentum præbere possunt, aut præbent. Si verò animalium naturam alterantium, aut veneno infectorum dentes, ossa, cornua, aliæque partes mutarentur, & in tuta medicamenta redigerentur, aliquid iisdem præstari posset. Naturam alterantibus annumerantur canum, lupo-rum, ursorum, leonum, & similiūm animalium rapacium dentes, & alcium, caprarum, hirco-rum, damarum, cervorum, & elephantorum ossa atque cornua, ut & hominum aliorumque animalium capilli: In veneno infectorum numero sunt viperarum, serpentum, bufonum, salaman-drarum, similiūmque dentes, & exuviae: In tertio gradu sunt canis marini, & balenarum dentes, ac piscium cornutorum, & illorum, quos Belgum nautæ Walrussen, ac alii monocerotas nuntupant, cornua, ut & alia ejusmodi monstra ma-nia, quorum caro venenosa est, ac ideo dentes virtute medicinali præditos esse oportet, si immutati, ac in essentiam commodam conversi fuerint. Cæterum in omnium animalium excre-mentis virtus & medicina singularis, & insignis latet,

latet, quorum nec sal volatile contemnendum, præcipue illorum, quæ veneno turgent. Sal fixus multorum morborum domitor non parum adjudamenti etiam ad medicinam faciendam confert. Sed de his in præsentia agere non constitui, illud tantum indicaturus, quo pacto cuncta animalia universalis Menstruo solvenda, & venenum in medicinam saluberrimam convertendum sit. Vires ipsorum jam non ignotæ sunt; nihil aliud requiritur, quam præparatio debita, cuius cognitionem hoc tractatu manifestare in animum induxi. Re ipsa constat, eò meliorem & efficaciorem antidotum esse venenatorum animalium dentes, cornua, pellem, pilos, & ungulas, quo majore, & præsentiore veneno carnem imbutam habent, quod ut credamus, experientia nos docuit. Qui plurium de animalibus ejusmodi venenatis cognoscendorum desiderio tenetur, libellum meum de signatura rerum legat, in quo multa utilia, & consideratione digna inveniet.

*Omnium venenatorum animalium &  
vermium præparatio & in medicamenta  
tuta, & efficacia mutatio.*

**Q**uantum ad præparationem attinet, ea non consistit in haec tenus usitato modo, quo ad medicinæ usum animalia præparari solita fuerunt, quæ vel in pulverem rediguntur, vel in Balneo per distillationem in spiritus, aquas &

olea convertuntur , aut per calcinationem in cineres mutantur , ut ex ipsis salfixum extrahatur , aut per sublimationem in sal volatile abeunt . Has & alias hactenus usitatas animalium , ut in medicina in usu esse queant , apparandi rationes & modos , ut re ipsa bonos & utiles , neutiquam contemno . Sed quoniam mihi cuncta talia efficiendi via melior , & compendiosior innotuit , eam , ut humano generi commodo , & ægris auxilio & solatio esset , occultare diutius nec volui . nec potui . Ut autem Lector Benevolus discrimen inter veterem parandi hæc medicamenta rationem , & modum meum perspicere possit , paucis & breviter illud indicabo , & demonstrabo . Hactenus nullam aliam viam auditu percepit aut legi , quam eam , quæ sequitur : Aut animalia , sive tota , sive partes ejus in aëre exsiccantur , in pulverem comminuantur , & in formâ pulveris vehiculo aliquo appropriato ægris propinantur : Aut mel sive saccharum pulveri adjungitur , ut electuarium evadat : Aut animalia recentia in oleo digeruntur , exprimuntur , & in Balsamum mutantur , ut necessitate postulante interno vel externo usui inserviant . Aut quibusdam medicamentis medicata & condita ad usum reponuntur : Aut recentia per Balneum in aqua distillantur , residuum in cineres per calcinationem comburitur , & sal fixus destillatæ aquæ beneficio ex cineribus extrahitur : Quidam animalium corpora sicca vel humida per retortam destillant , & fætentem spiritum , oleum

oleum & salem volatilem nanciscuntur , quas partes à ſc invicem separant, rectificant, & ad uſum neceſſarium fervant : Alii venenata anima- lia viva in olivarum , aut aliud ex aliquo aromate vegetabili per diſtillationem elicitum oleum conjecta ſuffocant, oleumque illud poſtea ad ex- ternos & internos uſus adhibent , ut ex ſcorpio- num oleo appetat . Hi ſunt modi hactenus ad me- dicamenta ex animalibus paranda uſurpati , qui partim fructu non caruerunt . Quoniam verò vidi & animadverti , quod animalia dictis modis parata adhuc cruda & venenata maneant , & in primis tantum ſiccata , & in pulverem mutata , ac ad uſum adhibita non ſine periculo ægris propi- nentur , quia nimia vehementia naturam adoriuntur , ſi vel minimus in doſi error committatur ; ac præterea ſapore ſuo ingrato & fastidioso ægris naueam pariunt : Quod animalium ſpiritus , olea , & aquæ deſtillationis adjumento evocata ut plurimum empyreuma redoleant , ac Naturæ ve- hementer adverſentur : Quod ſal volatilis & Fixus maximas animalis virtutes continentes commo- dius quidem intrà corpus affumi poſſint , quam oleum , quod ob fœtorem nimium planè ab ægris fastiditur , modus tamen hic , eò quod in operatio- ne tali potiſſima virtus comburit , & corrum- pitur , ac proinde medicamentum ita deſtillatum ipſo crudo animalis corpore minus utile eſt , inter optimos locum invenire neutiquam poſſit . Quia inquam hæc omnia vidi & animadverti , aliam

viam meliorem & utiliorem excogitandam esse omnino necessarium duxi, talem nimirum, cuius operâ unumquodque animal , aut saltem pars ejus, pro ut res tulerit , sine ulla totius corporis in partes diversas separatione, tota substantia per solventem , & corrigentem aquam aliquam ipsi infusam solvi , & immutari , ac venenum in medicamentum converti possit : Aqua verò solvens, & Medicamentum solutum ita comparata sint , ut illa post solutionem & correctionem à corpore soluto & correcto iterum abstrahi & separari , hoc verò correctum & purgatum aut per se , aut vehiculo aliquo appropriato ægris exhibere queat , quod ex sequentibus clarius patebit .

*Menstruum Universale , cuius adjumento  
omnia Vegetabilia, Animalia & Mineralia solvun-  
tur, Corriguntur , & in purissimum ac tutissi-  
mum medicamentum rediguntur .*

**I**N Miraculo mundi Nitrum Universale solvens verum esse docui , & monui , quod tribus modis operetur : 1. Ut in sua propria Natura & forma est, 2. quando in fixum & igneum liquorem mutatur , 3. quando ignis beneficio in spiritum acidum distillatur. His tribus instrumentis omnia, quæcunque in rerum natura sunt,solvuntur , emendantur , & in meliorem ac puriorum substantiam transmutantur. Quo pacto autem illud fiat , in hoc tractatu clarè docebitur , & explicabitur ,

bitur, ut omnes, qui aut craſſâ ignorantia, aut naſutâ superbiâ, aut planè Diabolico odio & invidia Miraculū Mundi à me editum, ut Farnerus fecit, hactenus contempſerunt, despeſerunt, & tanquam rem impossibilem traduxerunt, pudore ſuffundantur & mera ignorantia, superbia, & invidia lucem meridianam ſe oppugnaffe, eamque extinguerere, delere, & obſcurare voluiffe fateantur. Quamvis verò in Miraculo Mundi, ejusque explicatione, ut & Apologia contra Farnerum hominem ex impietate & malitia compositum Menſtrui universalis præparationem & uſum deſcripſerim, plures tamen ſibi persuadent, deſcriptionem illam nimiis tenebris involutam eſſe, utpote quæ ſine accuraſiore, & planiore explicatione intelligi, & proinde effectui dari nequeat. Hos ut præmansus, & in os ingeſtus cibus à moleſtiore meditatione & labore vacuos præſtet, interpretatione dilucidiore exequi operam dabo, & in Nomine Dei, in cuius honorem, ut & totius Generis Humani commodum hoc facere conſtitui, initium faciam, & perfectè demonstrabo, quod Nitrum dictis tribus modis omnia in Rerum Natura ſolvere, alterare, & in meliorem ſubſtantiam reducere valeat. Hisce autem cum omnibus riſoribus, & veritatis oſoribus in arenam deſcendo & poſtulo, ſi hoc ſolven- te universalis ex Nitro aliud melius & potentius habeant, ut illud in lucem producant: Si minus, ut hoc miſſum faciant. Unicuique liberum eſt,

ſi

si quid melius habet, ut illud boni publici causa in medium proferat; Quod si facere nescit, & nequit, jure ac meritò veritati se submittet. Si quis melius solvens universale in lucem protraheret, profecto rem gratam facheret mihi, qui commissos in hac materia errores animo lubentissimo agnitus, & propria mea scripta refutaturus essem. Aliquem tamen venturum & hoc facturum esse minimè vereor. Si venerit, eum audiemus, & videbimus, ac responsione decente excipiemus. Interea in Dei honorem, & Proximi commodum ad bonorum medicamentorum præparationem nos accingemus. Metallorum emendatio & correctio per dictum Nitrum perficienda in 2. 3. & 4 parte tractatus de prosperitate patriæ agentis exacte describitur, & demonstratur: Hic de medicamentis solis agere constituimus. Quia autem ratione Nitrum in liquorem fixum, & igneum, ac etiam volatilem, acidum, & igneum spiritum redigatur, in aliis quidem scriptorum locis jam docuimus, ita ut eadem hīc repeterem planè non necesse esset. Sed quoniam artium amanti lectori commodum est, ut utramque præparationem conjunctam hīc inveniat, utramque etiam hīc ob oculos ponere necessarium duxi.

*Salempetræ in liquorem igneum  
mutandi Processus.*

M. Salispetræ puri, & omni sale communi liberati,

*affervandum*

berati, lib. I. impone forti & benè cocto tigillo ac. tecto , quem venti furno immittes , ac prunis tamdiu urgebis , donec candescat , & nitrum totum fluat. Huic liquato , & fluenti injice parum farinæ seu pulveris carbonum ligneorum contusorum , ut salipetræ fuso innatantes conflagrent. His conflagratis aliam ejusdem pulveris portiunculam submitte , ac hac injectione toties ac tam diu perge , donec carbones injecti flamمام concipere desinant , & ipse Salpetræ viridi & cœruleo colore appareat. Fusum & liquatum effunde in mortarium aut pelvim calefactam , ( nam in frigidum vas infusus tibi in faciem involabit ) ac tam diu ibi relinque usque dum frigidus evaserit. Salem hunc exemptum ac linguæ admotum instar salis Tartari igneum esse senties. Eum contusum Phialæ alicui immitte , ac in cella aliqua humida & frigida repone , ut paucis diebus aut horis in clarum & igneum liquorem solvatur , quem per chartam bibulam , seu filtrum , ut vocant , colabis , ac ad usum sepones.

*Ejus in medicamentorum ex animalibus ,  
aut etiam vegetabilibus parandorum  
præparatione usus.*

**Q**Uandoquidem hujus Menstrui usus in prima mea contrà Farnerum Apologia , & prima hujus Pharmacopœæ Spagyricæ parte , in qua herbarum essentiæ docentur , jam demonstratus est;

est; in hoc autem tractatu medicamentorum ex animalibus parandorum mentio tantum fiet, hīc modum & operationem apponam, quæ non solum animalia, sed etiam vegetabilia corrigere, & in tuta medicamenta transmutare potest. Notandum hīc, quod hujus Menstrui usus in fortiter operantium, & quasi venenatarum herbarum, & animalium, quorum malitia tollenda, correctione locum solummodo habeat. Nam herbis ad culinam destinatis quæ bonæ sine noxa usurpantur, nulla correctione opus est, nisi quis forsan per spiritum vini ex ipsis extractum aut spiritum ardenter, & oleum, ut & sal fixum confidere, artis beneficio conjungere, ac suaves essentias componere velit, qui labor in prima Pharmacopææ meæ Spagyricæ parte accuratè descriptus est. Hīc tantū de animalibus, vegetabilibus, & mineralibus salispertræ beneficio in suavia medicamenta mutandis tractatur. In aliis meorum scriptorum locis satis superque docetur, quibus modis aliis, iisque variis, ac sine hoc universali solvente, medicamenta varia parari queant, quò Benevolum Lectorem remitto, hīc perrecturus docendo præparationem dictorum medicamentorum per solvens illud igneum hactenus saepius nominatum, quæ sine ullis additionibus effectui datur.

*Animalium, vel Vegetabilium per Igneum  
Nitri Liquorem solvendorum, corrigendorum,  
& in salubria medicamenta transmu-  
tandorum Præparatio.*

RE. Quodcumque animal, aut quamcunque herbam volueris, si recens est, concide, si siccum animal, aut arida herba fuerit, in pulverem comminue, & liquorem nitri fixi effunde, ut animal aut herbam probè humectet, & ubique contegat. Vitrum Balneo impone, & venenatum animal aut herbam diem & noctem unam digere, quo tempore Nitri Liquor venenatum animal aut herbam maturabit, mutabit, ac ex veneno medicamentum conficiet. Posteaquam Cucurbita in Balneo refixerit, eam exime, & Liquorem cum correcto animali aut herba in aliud vitrum longum collum habens effunde, & optimum spiritum vini aut frumenti ardenter, & ab omni phlegmate purgatum solutioni effunde, ut eam duorum ditorum altitudine superet. NB. Tam Liquor Nitri, quām spiritus Ardens ab omni phlegmate liber sit oportet, ut hic cum illo se non conjungat, sed suprà eum consistat. Nam si uterque adhuc aquosus esset, utriusque conjunctio aut commixtio fieret, & labor sperato eventu carereret, quod probè observandum est. Cum igitur per aquositatis ablationem commixtio prohibita sit, spiritus Ardens in calida digestione veram

veram & correctam herbæ aut animalis essentiam ad se trahit, & Liquorem fixum cum herbæ aut animalis fecibus inutilibus relinquit. Spiritum ardenter Essentiæ plenum, & nihil amplius attrahentem effundendo à liquore separa, aliumque eidem affunde, laborem hunc toties ac tamdiu iterans, donec omnis essentia ex Nitri liquore extracta fuerit. Omnes has collectas extractiones, quæ mutatum & correctum herbæ, aut animalis venenum continent, conjunctas in cucurbita Balneo impone, & leni calore spiritum ardenter abstrahere, ut tandem crassus, & subfuscus rubore coloratus liquor residuus maneat. NB. Optima spiritus ardoris pars etiam in Balneo separari, & ad usum ulteriorem conservari, reliqua vero, & debilior ejusdem pars cum extracto ex Balneo eximi, & in phiala supra Balneum vaporosum ad mellis consistentiam evaporari potest. Hoc enim facienti metuendum non erit, ne Balneum nimis calidum evadens extractum in cucurbita comburatur, ad quod maxime attendendum erit. Si autem evaporatio in phialis vitreis per Balneum Vaporosum fieri non posset, quando Essentia eò usque confecta est, in parva cucurbita eidem aliquid de spiritu ardente, qui primus ascendit, affundendum, ac mox cum eadem concutiendo & movendo probè miscendum est, quod illicò purissimam essentiæ partem iterum elicit & paucas feces, cum pauco Nitri fixi liquore relinquet: à quibus spiritus ardens cum essentia mox effundendo

dendo separandus, ne diutius apud feces manens, etiam sal ad se rapiat & essentiæ saporem & odorem haud suavem conciliet. Qui verò Essentiam adhuc puriorem & suaviorem reddere cupit, tertia vice eam modo mox dicto extrahere poterit, post quem tertium laborem aliquid salis iterum remanebit, & Essentia suavior evadet. Horum omnium si diligenti observatione ratio non habita fuerit, ut plurimum aliquid salis fixi adhuc apud Essentiam manebit, eamque injucundo sapore inficiet. Quare admonitio hæc non negligenda, & labor omnis summa diligentia perficiendus illi, qui boni quid nancisci cupit.

Hæc est descriptio exacta modi, quo ex maxime venenatis herbis & animalibus efficacissima medicamenta parantur. Porro hic notandum: quando per spiritum ardente ex Alcalisata herba, vel animali essentia extracta est, residuum in terreo & vitreato tigillo ad siccitatem excoquendum, ac postea probè candefaciendum esse, ut per calcinationem omnis impuritas consumatur, & Nitrum fixum purum supersit, quod in cellam repositum & in liquorem denuo solutum, pristinis suis viribus pollet, atque ita sepius, ut & spiritus ardens, ad similes labores adhiberi potest. Quamvis autem hoc Nitrum fixum tam mineralia venenata, quam animalia & vegetabilia mutet, & ipsorum venenum in medicamentum salubre redigat, ad vegetabilia, animalia & mineralia sulphurea tamen magis idoneum est, quam ad mer-

curialia; quibus Nitri spiritus acidus aptior est, licet vegetabilia, animalia, & mineralia etiam solvat, corrigat, & mutet: quod cum primis in mineralibus observandum, ut ita mirabilis proprietas, & omnia mutans efficacia ignis addiscatur. Nam Nitrum crudum, ut est in primo suo corpore, cum animalibus ac vegetabilibus combustilibus mixtum, & incensum omnia comburit, & cum flamma in aërem expellit, ut præter sal fixum nihil supersit, atque ideo illud ad hæc vegetabilia & animalia planè ineptum sit, siquid boni ex ipsis conficiendum est. In Mineralibus autem venenatis officio suo melius fungitur, quam Nitrum fixum, aut spiritus volatilis corrosivus & acidus, ut posteà, ubi de Mineralibus agendum, demonstrabitur. Hoc ut monerem, operæ pretium duxi, atque ideo feci, ut artis cupidi diversas Nitri operationes addiscerent. Nitrum crudum flamma sua in venenata animalia vires suas exerit, & paucarum horarum intervallo eadem in tuta medicamenta mutat. In fixum liquorem redactum omnia sulphurea vegetabilia, animalia, & mineralia solvit, quod commune aut crudum Nitrum, ut & spiritus acidus & corrosivus nunquam præstabunt. Quemadmodum autem hic Nitri Fixus Liquor Mineralia Sulphurea penitus solvit, ac nihil, præter feces relinquit: Ita spiritus Nitri acidus omnia Mercurialia Mineralia dissolvit, ut nihil residuum maneat; Ex quo constat, unamquamque natu-

naturam sibi similem amore complecti, & libenter eidem conjungi, præcipue quando naturæ puræ & mundæ nullis aliis rebus mixtæ sunt. Ut melius hæc intelligas, paucis hæc accipe. Nulla est herba, nullum animal, nullum minerale, quod suis tribus Principiis sale nimirum, Sulphure, & Mercurio non constet, admodum tamen inæqualibus. Nam in uno subjecto sal potentior est, in altero Sulphur, in tertio Mercurius. Quando in subjectis ex his tribus principiis constantibus inæqualitas nimia non est, nullumque Principium præ altero nimium dominatur, æquè spiritus acidus, ac sal fixum Nitri illa solvit, ut ex plurimis vegetabilibus, Animalibus ac Mineralibus patet, quæ ex temperatis principiis composita æquè Liquoris Fixi, ac spiritus volatilis acidi solutionem, & correctionem admittunt. Exempli gratia ; sumo herbam aliquam, sive Napellus fit, sive Mandragora, sive opium, aut ex animalibus aranea, scorpius, vel scarabæus auratus ; hoc subjectum Nitro Fixo, ut supra docui, tracto ; totum solvetur, mutabitur, & medicamentum tutum evadet, cum principiis temperatis constet. Sin vero eidem Nitri spiritum acidum affudero, in eodem solutum, mutatum & correctum salubris medicamenti naturam æquè induet, ac si priori liquore solutum esset : Cum tamen uterque Liquor nimirum Fixus, & spiritus Acidus, ex una radice licet orti, naturâ suâ maximè dissideant, & quasi odio hostili se

invicem prosequantur: idque ideo quia Liquor Fixus, æquè ac spiritus acidus aliquatenus adhuc adversarii sunt, & tanquam in una Naturâ absolu-tè non dominantur. Sunt enim ex uno, nempe vulgari Salepetræ in duas contrarias partes, & in hostes se invicem oppugnantes ab igne redacti. Si vero iterum conjungantur, ut ab igne accepta hostilitate se mutuò adoriantur, vincant, & occi-dant, nec Liquor igneus, nec spiritus acidus amplius animadvertisit, sed ad illud redeunt, quod antea fuerunt, & ex quo nati sunt nempe ad Nitrum, aut Salepetræ communem. Optime igitur Philosophi, Fac, ajunt, fixum volatile, & volatile fixum. Hermes quoque, Draco, inquit, noster non moritur, nisi cum fratre & sorore. De hac materia multa dici possent, quæ huc non pertinent, sed ad quartam partem prosperitatis Patriæ, in qua de auri, & argenti in tincturas concentratione agitur. Si unum autem princi-piorum nominatorum, sive sulphur sive Mercurius, ( sal enim hic non consideratur ) nimium in subjecto aliquo dominatur, utrumque solvens illud solvere pari modo non possunt, sed illud tantum, quod naturæ subjecti illius appropriatum est. Exempli gratia: Herbæ alicujus semen, quam-quam mercuriale sal habet, in eo tamen sulphur primas tenet; ideoque Liquore Fixo, quam spiri-tu acido solvi inavult. Oleo vero per expressio-nem, vel distillationem ex semine extracto, & à sale Mercuriali separato, Liquor Fixus majorem

in

in sibi simile operandi efficaciam habet, & illud oleum totum, etiam minima parte non relicta solvit. Contra autem quia oleum Mercuriali suo sale, qui spiritum acidum admittit, spoliatum est, spiritus acidus oleum aggrediendi, illudque solvendi nullam potestatem habet, cum tamen ex uno eodemque subjecto cum fratre suo Liquore fixo oriundus sit. Ita operatione simili fratri non respondet, ac sorori illa praestare, quæ frater facit, impossibile est. Quando autem uterque Frater & soror commiscentur, iterum parentum similes liberos, id est hermaphroditos pariunt, cujus originis etiam fuerunt, ad simplex & crudum Nitrum revertentes, ex quo rursus similes masculini & fœminini sexus procreationes & generationes existunt. Ità in infinitum unus partus in alterum se transmutat, auget, & emendat, si verum suum thorum conjugalem nanciscatur, & more Philosophico tractetur. Quod de Vegetabili Sulphure tradidimus, idem de Animali & Minerali intelligendum est. Nam ejusmodi sulphur sale & Mercurio suo privatum spiritus Nitri acidus non solvet, quod Liquor ejusdem Sulphureus lubens facit, qui commune Sulphur minerale totum dissolvit, cum spiritus acidus illud intactum relinquat. Subjectum autem utriusque, Sulphureæ puta & Mercurialis Naturæ particeps utriusque etiam, Fixi nimirum Liquoris, & Acidi spiritus solutioni se subjicit, sive ex Vegetabilibus, sive ex animalibus, aut mineralibus peti-

tum sit. Itaque Extrema , principium nempe , & finis , primum Ens & ultimum Esse , volatile , ac combustibile , fixum & incombustibile inter se comparanda sunt. Sulphur comburens commune , & quod mineralibus ac metallorum venis adhæret , nobis principium ; & finis aurum esto. Illud liquor fixus totum solvit , hoc maturum solvere nescit , quod spiritu acido solvit , cuius solutionem illud plane respuit. Subiecta illa media , quæ utramque naturam Sulphuream scilicet , ac Mercurialem participant , ut sunt ♂, ♀, ♂, ♀, ♂, ♀, Utroque nimirum Fixo Liquore & Acido spiritu dissolvuntur. Quò magis autem unumquodque sulphuris comburentis particeps est , eò facilius Fixi Liquoris solutioni cedit. Sic Liquor hic ex mineralibus Antimonium , Auripigmentum , sulphur commune , Arsenicum rubrum &c. facile , ex metallis ♂, ♀, ♂, ♂, difficulter , ♀, difficilius , ♀ difficillimè , ☽ omnium ultimum & optimum minimè solvit , quoniam à Natura Sulphure suo superfluo , extraneo , & comburente planè liberatum , & in purissimam Mercurialem substantiam lotum & maturatum est. E contrario spiritus acidus , si satis fortis fuerit , à supremo Metallo usque ad ultimum minerale omnia solvit , omisso tamen Sulphure communi , cui solvendo non est. Unum tamen subiectum altero facilius solvit , pro ut ipsius naturæ proprius , aut ab illa remotius est. Ex utriusque igitur horum solventium solutione uniuscujusque metalli & minera-

mineralis naturam & proprietates quivis Chymicus facile agnosceret. (NB. Hoc medio, quæ metalla & mineralia Auro proxima sint, expertus sum) investigatio hæc certior & tutior ipsi erit, quam multorum librorum lectio, nec ipsi noceret, si mineralium & metallorum Signaturam intelligeret, & eorum naturam & proprietatem ex ea addiscere nosset, qua de re, ut hic tractemus, instituti nostri ratio non permittit; in alteram nostri de Patriæ prosperitate tractatus partem, ubi de metallorum & mineralium concentratione agendum, hunc laborem rejicimus. Sed ne de metallorum discrimine differendo plus temporis teram, pergendum mihi erit, ac describendum, quomodo venenata vegetabilium & animalium subiecta spiritu Nitri acido solvenda, mundanda, maturanda, ac in tuta medicamenta mutanda, ac convertenda sint. Processus & præparatio est, ut sequitur.

R. Nuces Vomicas, venenatos versicolores bufones, Scorpiones, Cantharides, aut similia venenata vegetabilia aut animalia: Vegetabilia concisa, animalia vero integra, ut moriendo virus suum augeant, & majora ac efficaciora medicamenta evadant, vitro alicui immitte. E.G. Unam aut alteram unciam spiritus Nitri vitro angustum collum habenti, ut obturari possit, infunde, ac vegetabilia solvenda in illum spiritum demitte, quibus in liquorem solutis iterum alia adde, toties hoc faciens donec spiritus crassescens

plura solvere desinat. Eodem modo cum animalibus procedes, si mortua fuerint. Sin viva, spiritui aliquantum aquæ addes, antequam vermem immittas. Nam spiritus nimis validivires ita infrigendæ, ut vermis vivus immissus non illicò moriatur, sed se ipsum proprio suo veneno inficiat. In spiritu enim nimis forti momento citius ejusmodi animalia moriuntur, nec quid sibi acciderit, sciunt. In spiritu mitiore diutius vivunt, & cum sibi mortem imminere vident, vehementi irâ accenduntur, se ipsa pungunt, & mordent, ac veneno proprio occidunt, adeò ut venenum augeatur, & medicamentum majores vires acquirat. Solutis ergo, quæ injecisti, plura adde, usquedum spiritus crassior à solvendo cesset. Solutionem hanc per tenuelinteum colando in aliud vitrum demitte, & ipsi sensim, aut guttatum Liquorem Nitri Fixum affunde, ut spiritum acidum occidat, & uterque viribus amissis in pristinum Salempetræ redeant, ac correctum vegetabile aut animale in forma pulveris ad fundum præcipitetur. Post hanc præcipitationem plus aquæ dulcis, aut pluviæ affunde, ut Salpetræ melius solvatur. Totam solutionem per linteum tenuem in fundibulo vitro impositum in aliud vitrum effunde, ut Salpetræ, qui antea partim spiritus acidus, partim Liquor fixus fuit, & denuo Nitrum factus est, aqua affusa solitus per linteum transeat, & vegetabile aut animale illud correctum in eodem subsistat, quod multimoda

aquæ

aqua dulcis affusione ab omni falsedine liberandum, ac postea cum linteolo chartæ bibulæ multoties complicandæ imponendum. Hæc charta omnem humiditatem imbibet: Animalis autem & vegetabilis residuus pulvis in charta manebit, qui siccatus ad usum seponetur, ac postea per se in pulveris forma, aut in pillulas redactus usurpabitur, & longè tutius ac securius, efficaciusque omnia ea præstabit, quæ anteà non tutò & cum summo periculo præstitisset. Est & aliis animalia & vegetabilia per spiritum Nitri acidum vel Liquorem fixum in medicamenta salubria mutandi modus, qui ità se habet. Subjecta illa, quæ Liquoris fixi solutionem respuunt, spiritu acido solvuntur, & Liquore fixo præcipitantur; Aut contrà, quæ spiritu acido solvi recusant, Liquore fixo solvuntur, & spiritu acido præcipitantur. Postquam omnia præcipitata, & solvens satis occisum est, aliquantò plus Liquoris fixi affunditur, ità ut hic spiritum acidum quantitate multum supereret. Quo facto phlegma in Balneo vaporoso abstrahitur, & Liquori remanenti affunditur spiritus ardantis quantum sufficit, ut digestus extrahat, quicquid extrahendum est. Hic nihil aliud aggreditur, & nihil aliud ad se rapit, quam solam & unicam essentiam herbæ aut animalis, ac solventia intacta relinquit: Essentia autem illi, quæ modo prius descripto parata est, nec viribus, nec efficacia cedit. Hæc de vegetabilium medicamentorum præparatione dicta sufficiant. In nomine

Domini etiam ad Mineralium & Metallorum medicamenta nos conferemus & videbimus quid boni Deus omnipotens horum beneficio nobis largiatur.

Metallicorum medicamentorum præparatio præcedenti vegetabilium & animalium præparationi ferè vicina & affinis est, atque in eo tantum differt, quod plurima Mineralium & metallorum pars nitro crudo & purgato solvantur, corrigantur, & in tuta medicamenta convertantur, ut sequens modus indicat: *N.B.* Antimonii pulveris, & Nitri purgati ana; mixtas has partes æquales in tigillo tecto, ne massa exsiliat, calcina, post calcinationem effunde, & massam in pulverem redige, & aqua Salempetræ elue, ac antimonium, quod nigrore amissio album evasit, sicca; mixce iterum æquali Salispetræ ponderi, calcina, & abluere, laboremque hunc tertia vice itera. Quo facto Antimonium omni nigrore & veneno deposito album, & medicamentum tale evadit, quod in omnibus morbis per sudorem expellendis 2. 3. 4. usque ad 6. granorum dosi tutissimè adhiberi potest. *N.B.* Si Antimonii crudi loco ejusdem Regulo usus fueris, prima operatione mox Diaphoreticum album eadem dosi exhibendum nancisceris. Eodem planè modo venenatum Arsenicum, Auripigmentum, & similia venena omni suo veneno nudabis, & in tutissimos pulveres diaphoreticos transmutabis. Quoniam autem eorum præparationes unicuique non convenient,

veniant, imo ignorantes & imperitos facile damage  
no afficere possent, ejusmodi hominibus consu-  
lo, ut eorum tractatione supersedentes soli Anti-  
monio adhærent, ac probè eum figant, cum eo  
longè tutius uti possint: Quæ enim de summis  
illis venenis h̄ic dicuntur, eo tantum spectant,  
ut unicuique innotescat, quod etiam summa ve-  
nena solius Nitri adjumento etiam se corrigi, &  
in saluberrima medicamenta transmutari patian-  
tur. Qui Antimonium adhuc tutius ac melius red-  
dere desiderat, sequentem præparationem usur-  
pet. Rx. Supradictum & Nitri opera fixum Anti-  
monium diaphoreticum, quod in valida aqua  
forti clare solves, & solutum Liquore Nitri fixo  
præcipitabis, ut instar nivei pulveris in fundo  
subsideat, humiditas effusa, parte aliqua per eva-  
porationem spoliata, & seposita ut sal concrescat,  
tibi Nitrum tuum reddet. Pulvis siccatus, & pro-  
bè aquâ elutus, præstantissimum in omnibus mor-  
bis sudore expellendis medicamentum jure Be-  
zoarticum Minerale appellari potest, cujus dosis  
grana 1. 2. 3. 4. 6. usque ad 12. pro ratione mor-  
bi & personæ; Sed de hoc medicamento in aliis  
meis scriptis satis prolixè egi, ut h̄ic repetitione  
non opus sit. Tribus his modis per Nitrum cru-  
dum, fixum, & acidum omnia metalla, minera-  
lia, lapides, & quicquid in mundo est, solvi,  
corrigi, & in medicamenta omni periculo caren-  
tia transponi possunt. Spiritu Nitri acido omnia  
metalla, unico auro excepto solves, quem si par-

*Obs.* va salis Armoniaci accessione auxeris, aut sale  
 communi rectificaveris, aurum quoque solutioni  
 ejus cedet. In ipso omnia quoque mineralia solvi  
 solent, uno Sulphure vulgari excepto; Mineralia  
 autem soluta Liquore Nitri fixo præcipitantur,  
 præcipitata communi aqua eluuntur, & eluta ad  
 medicinam faciendam adhibentur. Pulveres eva-  
 dunt subtile, pro natura & proprietate suorum  
 metallorum, & mineralium. Pulvis auri flavus  
 est, & fulminans appellatur, argenti cinereus,  
 cupri viridis, ferri ruber, stanni & plumbi albus,  
 Antimonii, stanni albi & similiūm albus, lapidis  
 calaminatis, tutiæ & cadmiarum cinereus &c.  
 Sulphur commune, omnesque lapides pretiosos  
 & vulgares solvere nescit, Fratrique suo Liquori  
Fixo solvendos committit. Ità quæ soror facere  
 nescit, id fratri factu facile est; quodque frater  
 effuctui dare nequit, id soror faciendum suscipit,  
 & quæ utriusque impossibilia sunt, ea patri aut  
 matri eorum Nitro crudo possibilia esse videmus,  
 ita ut huic Subjecto quidvis faciendi potestas da-  
 ta sit. Ut autem perfectè demonstrem, quod Ni-  
 trum omnia quæcunque in mundo sunt, solvere  
 queat, Iac simul indicem, quomodo illa Subjecta,  
 quæ acidi Spiritus solutioni non obœdiunt, Nitri  
 fixi potestate subigantur, pergo, & à Sulphure  
 vulgari initium facio.

R. Sulphuris in pulverem redacti p. 1. Nitri  
 fixi p. 2. quibus in cucurbitam immisis aquam  
 duplo pondere utriusque respondentem p. nempe  
 sex

sex affundes. Unius circiter horæ spatio in arena decoque, qua decoctione Liquor Nitri fixi Sulphur solutione rubra solvet. Hæc per chartam bibulam colata, & per spiritum acidum in fundum præceps acta, post elutionem, album & subtilem exhibet pulverem, in pulmonum morbis utilem. Restant adhuc silices, arena, Crystalli, & omnis generis lapides pretiosi & vulgares, quibus dissolvendis cum acidi spiritus vires pares non sunt, necesse est, ut à Nitro fixo vires suas exrente dissolvantur: quod hoc pacto fit. Silicem, Crystallum, Marmor, aut alium lapidem in igne in vitrum fusione abeunte probè candefac, & aqua frigida iterum extingue, ac sicca, ut facili negotio in pulverem contundi queat. Hujus pulveris cape partem unam, Nitri fixi partes 3. vel 4 commisce, tigillo fusorio immitte, ac in furno venti probè tectum igne forti funde, ut vitrum pellucidum evadat. Effunde, in pulverem redige, in vitrea phiala in humidam cellam repone, ut lapis in liquorem mutetur. Aut vitro dicto fuso & contuso aquam communem affunde, quæ pulverem solvet: Cui solutioni claræ si Spiritum Nitri acidum infuderis, Nitrum fixum viribus igneis privatum in pulveris forma lapidem solutum dimittet, qui multimoda ablutione aquæ cluendus, & siccandus est, ac magisterium erit illius lapidis, cui hæc operatio impeditur. Hi lapides quoque in forti vitro Nitri Liquore fixo affuso arenæ imponi, digeri & solvi possunt. Sed tardior

tardior hæc humida quam prior via sicca per fusionem. Ipsa etiam vitra hunc liquorem diu non sustinent, sed eodem etiam solvuntur. Magisteria autem hæc, vel lapides ita præparati, utiles sunt in Calculo, quem non modo ex renibus verum etiam ex vesica expellunt, si non nimium adhuc induratus fuerit. Si medicinam hanc adhuc meliorem reddere cupis, ita procedes, Liquorem silicum aut Crystallorum post liquefactionem in cella solutum, infunde in phiolam longum colum habentem, eique spiritus vini duplo plus affunde, ita tamen ut phiolæ dimidius ventrantum plenus sit. Da alicui vitrum in manus, ut inde sinenti concussione & agitatione liquorem & Spiritum vini commisceat, ac hic illum probè penetret, solvat ac dulcem reddat. NB. Agitatio hæc necessaria est, quandoquidem sine agitacione Spiritus vini supra liquorem consistens Nitrum fixum non attraheret. Si Spiritus vini primo affusus satis acer evasit, eo effuso alium affunde, ac iterum satis acrem effunde, novoque effuso laboris hujus repetitionem tamdiu itera, donec lapidum liquor dulcis factus fuerit. NB. Spiritus Vini omni phlegmate careat oportet, cui si adhuc aqua inesset, liquor lapidum præcipitaretur, & pulvis fieret. Benè autem, ac rite qui processerit, nobile contra calculum Microcosmi medicamentum consequetur. NB. Postquam Liquor lapidum ad dulcedinem reductus est, Vini spiritu in vitro tegendus est, ut Liquor in liquiditate sua permaneat;

neat ; alias enim paucorum dierum spacio in lapidem in vitro mutatur. Liquore usurus pollice vitri orificium clade, vitrumque inclina, quo inclinato Spiritus vini tanquam levior cedit, & liquor, qui Spiritu vini gravior est, fluet ad pollicem, qui parum remotus tantum liquoris tibi promet ac demittet, quantum tibi necessarium fuerit. Hanc præparationem de industria in hunc locum conjeci, ut eo minus in ea aberrari possit, cum hic labor hominem expertum & non rudem ac insipidum aliquem Farnerum requirit. Arenæ, silicum, Crystalli similiumque lapidum Liquorem, & Magisterium iisdem viribus pollere experientia testatur. Quisque opinione sua alterum sibi eligere poterit. Vulgares & albos silices in rivotum arenis commendo. Horum Magisterium debilibus stomachis etiam maximè conductit, neceodem quicquam corrumpitur ad quoscunque etiam morbos adhibentur. Pulveris Dosis gr. 4. 8. 12. 20. 30. Liquoris autem Dosis gr. 1. 2. 3. 4. usque ad 10. Liquor hic quocunque veniat, cuicunque materiæ adhæreat, si in sicco loco conservetur, naturalis & pellucidus Lapis evadit. In corpore humano autem sibi simile attrahit, & secum evehit. In eo plura alia secreta recondita latent, quæ huc non pertinentia, in aliis meis scriptis reperiuntur. Porro lapides inveniuntur, qui nec Liquoris Nitri fixi, nec Spiritus acidi solutionem admittunt. Hinc etiam documentur ; Ita procedendum erit. Ejusmodi Lapis nec

nec Liquoris Nitri Fixi, nec Acidi Spiritus Solutioni se subjiciens in pulverem subtilem comminuitur, & comminutus cum pulvere Nitri puri & siccata commiscetur, ita tamen ut hic triplo pondere illum superet. Postquam tigillum aut crucibulum usque ad medium partem hac mixtura impletum est, pruna oblonga forcipe arrepta materiæ immittitur, & in ea firmiter tenetur, ne à flamma iterum exturbetur. Ita Nitrum à pruna incensum cum lapide flammam concipit, ac tam celerem & vehementem ignem excitat, ut lapis penetretur, aperiatur, ac post operationem communiaqua solvi possit. Quo facto, solutio, quæ lapidem solutum imbibit, per colationem chartæ bibulæ beneficio purificanda, & Spiritus acidi instillatione præcipitanda est, ut lapis in forma pulveris subsideat, aquâ eluendus, siccandus, & ad usum conservandus. Ita jam omnia metalla, omnes lapides, omnia vegetabilia, & animalia solvimus, ac in Medicamenta sua traduximus: Et si quicquam adhuc aliud in rerum Natura, præter hæc Subiecta, superesset, aut inveniri posset, illud hoc meo Menstruo Universali solvendum docuissem. Quia autem extra Vegetabilia, Animalia, & Mineralia, ut & omnis generis lapides, imo vitrum ipsum nihil aliud reperio, nec reperire possum, jure Menstruum & Solvens Universale manet (rumpantur licet ilia Momis, risoribus, ignorantiae fratribus, & veritatis osoribus) constans, invictum, & incomparabile,

quam-

quamdiu mundus steterit. Quid in metallorum emendatione & correctione præstare possit, 2. 3. & 4. de Patriæ Prosperitate tractatus partes, in quibus de Metallorum concentratione agitur, in lucem prodeunt. Quæ verò alia veram Hermeticam Philosophiam concernentia mysteria in hoc Subjecto mirabili recondita lateant, in meo de Natura Dei, & Concentratione Elementorum tractatu, in quo studiosus Lector Divinis & Humanis miraculis se delectare poterit, accurate & succinctè descripta invenientur.

Jam igitur probatum & demonstratum est, quod Nitrum Solvens & Menstruum Universale sit, cum nihil sit in rerum natura, quod ejus viribus solventibus resistere queat: nec etiam tale quid inveniri possit. Aequissimo jure ergo illud manet, quod reipsa est, & à me & omnibus peritis Chymicis esse judicatur. Quod autem quis obiecere posset, allatas probationes sibi neutiquam satisfacere, nec etiam demonstrare, quod hoc Solvens ad Philosophicum opus etiam aliquid commodi conferat: Ei responsione mea non occurram, nec exploratoribus scrinium meum compilandum exponam, ut Arnoldus Lullio fecit; Sed Secreta in Secreto loco relinquam. Satis multa dixi, atque etiam dico in meo de Concentratione cœli & terræ tractatu. Qui dicta non intelligit, imò adhuc contemnit, non est cur se Adeptis, & Hermeticis filiis annumeret, quippe cui apud Farnerianam sodalita-

tem , & porcīnum līntrem potius manendum erit.

*Uſus, potestas, & vires medicamentorum  
ex Vegetabilibus, Animalibus, & Mineralibus,  
quæ ſupra docuimus.*

**Q**uantum ad Vegetabilia attinet, pauca ex iis sunt, quibus correctione per Solvens Universale opus est. Nam quæ naturā ſua ſalubria & ſana ſunt, nullo medicamento indigent. Rosmarinus enim, amaracus, ſalvia, thymus, & ſimiles herbæ correctione non egent, & ſecundum modos in prima parte à me præscriptos in Essentias suas ſuaves deduci poſſunt. Herbæ autem illæ, quæ fortiter operantur, & ad uſum medicum adhibitæ, periculo non carent, quales ſunt hyoscyamus, cicuta, mandragora, opium, tabacum, napellus, cocculi de Levante, nuces vomicæ, &c. correctione bona emendentur, oportet; alias haud tutò intra corpus ſumi poſſunt. Si Igneo Menſtruо operante, ut in præcedentibus monstravimus, ſolvantur & corrigan tur, ſine omni diſcrimine, & quām tutiſſimè intra corpus ſumi poſſunt, & in medicinâ mirabilia præſtant. Quicquid antea venenum fuit, poſtea eſt antidotus venenum domans. E. gr. hyoscyamus, mandragora & opium natura ſuā stupefactivam vim obtinent, ſpiritum vitalem ſupprimunt, humidum radicale inficiunt, nimium ſomnum conciliant,

ciliant, imò perpetuo somno vitam claudunt : Sed igneæ aquæ viribus correctæ illæ herbæ, & veneno suo spoliatæ non amplius nocent, sed omnes internos & externos dolores sponiant, concitatos ac iratos Spiritus vitales sedant, omnia inquieta suavi quiete componunt, venenatos humores per sudorem ex corpore expellunt, & cunctis in statum quietum redactis multis morbis medentur. Cicuta, napellus, cocculi de Levante & nuces vomicæ non solum lethalem somnum, verum etiam vomitus vehementissimos, & punctiones acutissimas in corpore excitant, sensibus & intellectu hominem privant, ac tandem mortem ipsam afferunt, si nimia quantitate in corpus veniant, & per vomitus vehementes non eliciantur. Sed herbæ tales correctæ venenumque in salubria medicamenta mutantes, tam horribilia, doloresque summos excitantia, ac mortem inferentia symptomata amplius non causantur, sed innoxio & insensibili modo totum corpus penetrantia omnes obstrunctiones tollunt, omnia noxia per sudorem; urinam, ac sedes ex corpore ejiciunt, viscera interna ab impuris humoribus purgando liberant, & occultos morbos feliciter tollunt. Si antea caput gravedine summa onerarunt ac insanum & amens reddiderunt jam illud mundant, purgant, à gravibus & noxiis vaporibus liberant, cerebrum corroborant, & ingenium aut memoriam melius reddunt; Ità quod ante correctionem corruperunt, jam post eam

emendant, & reficiunt. In eam tamen hæc accipienda partem, ut in ejusmodi medicamentorum usu etiam necessaria cautione adhibita probè provideatur, ne modum excedendo quid erroris committatur, cum ludere ejusmodi medicamentis penetrantibus non liceat.

*for  
spu  
ria*

Fortissima medicamenta purgantia, ut esula, cataputia, Staphisagria, Gummi gutta, ac similia in hoc Menstruo soluta & præcipitata vehementem & quasi venenatam qualitatem suam amittunt, & tuta ac lenia purgantia evadunt. NB. hoc, quantum ad solutionem hanc attinet, hic animadvertendum est, cum semen esulæ, cataputiæ Staphisagriæ, ut & Gummi gutta, ac Scammonium pinguem ac resinosam naturam obtineant, non acido Nitri Spiritu sed Liquore Nitri Fixo, aut melius Spiritu Vini per Nitrum Fixum corroborato & alcolisato solvenda, ipsoque Spiritu acido præcipitanda esse. Sic eodem Spiritu Vini Nitri Fixi adjumento fortiore reddito omnia Gummi qualitatem pinguem habentia, & è contrario illa quæ pingua non sunt, Spiritu acido solvi, & contrario suo liquore præcipitari possunt. Ità quoque omnes amari succi, ut Aloë, Myrrha, ac similes, eodem soluti & correcti suaviorem & gratiorem saporem acquirunt. Infervit etiam gravissimè orentibus Gummi, ut asæ fætidæ, aliisque ejusmodi fætentibus animalium, & vegetabilium rebus corrigendis, fætore suo gravi spoliandis, & in odore in gratum convertendis.

*VB*

tendis. Adeò nonnulla etiam fœtorem ingratissimum emittentia ità immutari possunt, ut jucundum odorem posteà spirent. Quanquam autem antè plures annos in primo libro Furnorum, ubi de Spiritu Salis agitur, hujus laboris mentio facta est, eodem tamen non supersedebo, sed in sequutura hujus meæ Pharmacopœæ tertia Parte plures, & magis compendiosos effectui talia danni modos describam, cò studiosum jucundorum, & efficacium medicamentorum telegans.

Quoad animalia, carni bubulæ, vervecinæ, porcinæ, gallinarum, anserum, & reliquorum culinæ inservientium animalium, piscibus & avibus multa correctio ut adhibeatur, necesse non est. quæ annum superant ætate animalia, aut quæ provectionia sunt, aqua, sale, aromatibus, condimentis, vino vel aceto probè elixentur, juriora veru affixa assentur. Hominibus bona valetudine præditis non nocent, si iisdem ipsis vesci, ac bonum vini, aut cerevisiæ melioris notæ haustum addere licet, ut quæ in gutture residua hærent, eluendo, in stomachum promoteantur.

Venenatorum vermium, & infectorum si quis in medicina usus esse debet, quoniam nonnunquam etiam plus, quam vegetabilia, in medicina præstant, ut experientia testatur, ea tamen sine correctione non adhibenda. Sed hic non culinariam correctionem intelligo, cui perficiendæ vinum, saccharum & aromata se offerunt; verum talem, in qua omnia unà manent, & ab Igneo

Menstruo corrigantur & emendantur, idque sine ullius alius rei additione, ut supra docuimus. Sic correcta non solummodo tutò, sed etiam majore multorum ægrorum auxilio & solatio in desperatis morbis ad medicinam usum suum conferunt, & authoribus suis majorem gloriam conciliant. Lippis & tonsoribus notum est, quid interdum lumbrici, scarabæi, cantharides, aselli, & similia urinam promoventia infecta, cruda, secca, in pulverem redacta, & ægris propinata efficiant. Qui lumbricorum copiam colligendi causa eisdem quærit, baculum terræ infigit, & vermes, eundem agitando inquietat. Hoc itaque ipsi sentientes se devorandi causa talpam adesse putant, ac catervatim ex terrâ prorumpunt, ut capi facile possint. Si cui vermes ipsi naufragent, terram capiat, quam lumbrici post calidam pluviam verno tempore instar tuberculorum plurimorum supra terram ejecerunt, quasi dicentes, hujus terræ gratia nobis vitam relinque, & ex ea essentiam extrahe, quæ tibi perinde utilis erit, ac si nos sumas. NB. Hanc terram merulæ quærunt, suisque pullis in nido cubantibus afferrunt, quod non facerent, si nihil boni contineret, quippe quæ vermes potius ipsis allaturæ essent. Deus & Natura nil frustra faciunt. Canis, qui multa ossa devoravit, locum aliquem purum quærit, ubi suum sterlus deponat, sive in lævi lapide sive in gramine: quasi dicturus, hoc tibi, gratias pro cibo, quem mihi largiris, agens, exhibeo:

beo : serva , & eo utere ut scis. NB. Maximæ animalium vires sitæ sunt in ipsorum excremen-  
tis, & non in carne. Excrementa sequuntur cor-  
porum superflua, qualia sunt in hominibus capil-  
li, dentes, & ungues ; in bestiis capilli, dentes,  
ungulæ & cornua, in avibus ungues, & plu-  
mæ, &c. Quod vermis majalis podagrâ, & cal-  
culo liberavit Doct. Wierus peculiarem tracta-  
tum edidit de arthritide, vagis artuum doloribus,  
intrinfeco, & occulto scorbuto, aliisque ejusmo-  
di morbis diuturnis, &, vulgari opinione, incur-  
abilibus, quos majalium vermium, aut scarabæo-  
rum unctuosorum medio removere docuit. Nec  
abs re quidem est, quod tam abjectis, & contem-  
ptis vermiculis plus quandoque quam pretiosissi-  
mis, & maximè estimatis vegetabilium compo-  
sitionibus effectum sit. Crudi & non correcti hoc  
faciunt: Si vero lumbrici, ac cum primis hostes  
ipsorum, nigri, laues, multos pedes habentes &  
lumbricis succum & vires exugentes illi vermes,  
ut & lati, versicolores, venerei illi vermiculi,  
quorum superius mentio facta, Igneo Menstruo  
corrigerentur, non modò urinam & calculum  
tutò ac sine noxâ propellerent, sed etiam virilem  
naturam mirè corroborarent, & multis debilibus  
equitibus solatio essent. Correcti scarabæi viri-  
des, cantharides, & muscæ virides, naturæ vene-  
reæ omnes non tantum calculum & urinam pel-  
lunt, sed etiam in podagra, arthritide vaga, & aliis  
gravibus morbis, qui altas jam radices egerunt,

mirè vires suas exercent: omnium tamen efficacissimè niger & tardè repens ille vermis Majalis, sive scarabæus unchiosus, quem sufficiente copia Majus & Junius suppeditant. Res tota in eo consistit ut vermes tales Liquore Alkahest probè corrigantr, & parentur, antequam in usum veniant, Scarabæi magni, & cornuti, nucum, cerasorum, & prunorum succo ac resinis viventes, qui toti balsamicæ sunt naturæ, si correcti sunt, ut intus, & exterius exhibeantur, maxime suadeo, nempe quando membra interna & externa vehementibus punctionibus, & doloribus maximis cruciantur. Formicæ salubrem & efficacem balsamum possident, & internis æquè ac externis doloribus medentur. Ex iis præcipue sunt quæ in sylvis abietibus & pinis abundantibus commorantes earundem arborum resina vitam sustentant, nec reliquarum more foliis & gramine vescuntur, sed æstivis mensibus resinarum illarum grana copiosa in cavernulas suas congerunt, hyberno tempore sibi alimento futura, quæ sylvarum istarum incolæ cognita habent, conquerunt, & mastychis loco Pharmacopœis vendunt. Nam efficacia, viribus, forma, & odore Mastychi ex India venienti respondet, quo Gummi forsan nobis non opus foret, si hoc nossemus, quereremus, & usurpare sciremus. Horum & similium insectorum copia & varietas est magna, quorum in medicina magnis proculdubio usus esse posset, quæ cum tanta copia, ut vegetabi-

getabilia, & mineralia, acquiri nequeant, usu eorum supersedetur, utpote quæ raro queruntur. Nec etiam necessarium est querere & longè petere ea, quæ præsentia ante oculos versantur. Cuncta, quæ hic scribo, eò spectant potissimum, ut demonstrem, omnia venenata animalia corrugandi, veneno spoliandi, & in medicamenta salubria mutandi vires inesse Menstruo Universali, in cuius honorem & gloriam hæc conscribere coactus sum. Quod in venenata Mineralia operationem dictam exerceat, jam satis superque notum est, ut ex solo etiam Antimonio clarissime clucet, quod bis vel ter vulgari Nitro crematum nigrore suo penitus viduatur, & albissimum colorem induens pulvis evadit diaphoreticus, & *αλεξινας*. Idem usu venit Arsenico & Auripigmento venenis vehementissimis, quæ paucarum horarum spacio ita mutari possunt, ut postea sine omni noxa & periculo intra corpus sumpta venena maxima debellent, & expellant. Quanquam non opus est, ut venenata illa subiecta adhibeantur, cum alia plura media suppetant. Sufficit demonstrasse, Nitro tantas inesse vires, ut cuius vis vegetabilis, animalis, & mineralis naturam venenatam invertere, ac venenum in salubre medicinam traducere possit. Quoniam animalium vires vegetabilium efficaciam superant, & his duobus mineralia superiora sunt, in medicina jure in usum veniunt illa mineralia, quæ efficacissima, suavissima & tutissima sunt.

Interim animalia & vegetabilia suum honorem, & locum, ut retineant, volumus, quorum discrimen ostendendo, ut proximo nostro recte & sincere inserviamus, necessitas prolixiorem explanationem postulat. In genere igitur notandum: Quò maturiora sunt mineralia, juxta cum animalibus, & vegetabilibus, & quo proprius soli admota sunt, & in eo morantur, eò tutius & securius intra corpus sumi possunt. Omnes herbæ, vermes, & animalia calido aëre gaudentia, & in eo commorari amantia tanto, veneno nunquam infectæ sunt, quanto illæ, quibus obscura, umbrosa, & tenebroſa loca magis arrident. Nam Napellus, Mandragora, Cicuta & similes herbæ nunquam, aut certe rarissimè alibi, quam in tenebris & umbra obductis locis reperiantur: Maxime venenata animalia & vermes in terræ foraminibus & speluncis frigidis & obscuris lubentissimè commorantur, & ob aëris calidi defectum venenata manent, ac necessario generi humano damnum afferunt, Nitri autem fixi liquore digesta venenatam suam qualitatem deponunt, & medicamenta salubria fiunt. Omnis igitur rerum maturatio in calore, venenum verò in frigore consistit, quod vinum & arborum fructus testantur, quibus Solis calore ad maturitatem perductis homines sine noxa vesci possunt, crudis & immaturis vescentes stomachum suum corrumpunt. Quicquid autem hic de animalibus & vegetabilibus dicitur, de mineralibus & metallis immaturis

maturis intelligendum quoque est. Quò immaturiora & crudiora, eo magis nocent, & medicinæ facienda inceptiora sunt. Ac metalla quod attinet, de gradu ad gradum perfectionis finem pertunt, quemadmodum infans sensim ad ætatis gradum summum pervenire solet. Sicut autem apud hominem in virili ætate constitutum plus reperitur, quam apud infantem: ita & apud mineralia & metalla longo temporis successu maturationem suam adipiscuntur. In quibus cum tutissima, suavissima, & efficacissima medicamenta inveniri possint, necessarium duxi ipsorum dignitatem & gradus paucis detegere, & quasi scalam quandam ostendere, in qua metalla constunt, & qui ex ipsorum signatura perfectio, quam gradatim consequuntur, agnosci potest. Metallorum mineras arbori similes est judico: Saturnus radix est, Mars truncus, Jupiter cortex arborem vestiens, Mercurius inter corticem & truncum hærens succus, Venus folia viridia, Luna flos, & Sol fructus. Veteres Physici metalla 7 præcipua cum 7 Planetis compararunt, quæ comparatio optimè quadrat, cum & Planetæ & metalla sibi mutuò respondeant. Chymici Saturno plumbum, Jovi stannum, Marti ferrum, Veneri cuprum, Mercurio argentum vivum, Lunæ argentum, & Soli aurum adscribunt. Quemadmodum verò splendore, virtutibus, & aliis rebus Planetæ se mutuò antecedunt, ita & metalla, quod natura ipsorum docet, & signaturæ discrimen

meri ipsorum innuens testatur. Veteres certè, quando rem perfectam designare voluerunt, rotundo circulo eam notarunt, ac quanto imperfetior res indicanda erat, eo minorem rotunditatem eidem attribuerunt. Solis nota hæc est : ☽, circulus nimírum in medio punctum ostendens. Círculus perfectionem auri, punctum in medio círculi perfectionis originem signat. Lunæ sive argenti signum hoc ☽ dimidiis duobus círculis constans dimidiām perfectionem loquitur: Ita etiam cum cæteris metallorum signis & signatūris comparatum est. Quò magis ad rotunditatem accedunt, eò perfectioni propiores sunt, & vice versa. Sol omnibus stellarum nobilissimus nobilissimum quoque metallum aurum nempe efficit: quod deinceps etiam de aliis metallis observandum. Quo perfectiora autem sunt metalla, eo meliora ex eo existunt medicamenta. Saturnus sive plumbum interno corpori haud multum conducit, nisi in Peste, & aliis calidissimis morbis. Extero corpori applicatum humidos corporis affectus, & ulceræ humida siccatur, ac calori omnibusque inde orientibus affectibus externis medetur. Jupiter sive Stannum aliquanto calidius Saturno, sed tamen etiam admodum siccum: Mars sive ferrum calidum & siccum, Venus sive Cuprum humidum est & calidum, Mercurius sive Argentum vivum calidius & humidius, Luna sive Argentum mediocris caloris & humiditatis, Sol sive Aurum tandem temperati caloris

caloris, & humiditatis. Si quid boni jam ex Au-  
ro conficitur, cor tanquam nobilissimum corpo-  
ris humani membrum roborat ; Pari ratione Ar-  
gentum cerebro, Argentum yivum epati, Stan-  
num pulmoni, Ferrum felli, Plumbum lieni,  
& Cuprum renibus vires sufficit. Sic veteres  
Philosophi & Medici metalla distribuerunt &  
distinxerunt, quæ in statu suo relinquo, quamvis  
forsitan adhuc nonnulla alio modo distinguere  
possem. Sed tam diu manere possunt, donec  
Elias Artista adventu suo nos ex erroribus no-  
stris expeditat. Ex mineralibus primum nobili-  
tatis locum obtinet Antimonium, auri primum  
Ens verum, in quo omnium vegetabilium, ani-  
malium & mineralium virtutes collectæ, & con-  
centratæ sunt, ut signatura ejus indicat. Signa-  
runt enim id Philosophi sphæra rotunda, qua ter-  
ra depingitur, cum impositâ cruce propterea pro-  
culdubio, quod terra nullum ad medicinam sub-  
jectum aptius unquam produxit, ut omnes veri  
Chymici testantur, sicuti in corum scriptis lege-  
re est, ac in primis Basilii Valentini curru Trium-  
phali de Antimonio, quem in hujus mineralis ho-  
norem scripsit. Idem testatur Philosophus ille  
dicens : Aurum & argentum vulgare non fa-  
ciunt, nisi ipsorum Primum Ens illud efficiat. An-  
timonium autem auri verum & genuinum Ens  
primum esse testantur non solum omnes Philo-  
sophi sed etiam experientia ipsa quotidiana, ex  
quâ luce meridiana clarius patet, raro antimo-  
nium

nium aliis in locis reperiri, quām in ipsis fodinis auri, nec ullum prætereā Antimonium dari, quod auro non prægnans sit, ita tamen, ut aliud plus auri, aliud minus contineat. Imò inter auri venas ipsas Antimonium sæpè occurrit, ac proinde quasi immaturum aurum jure vocari potest. Ipse frustum venæ aureæ vidi, quod ex aurifodinis erutum plura continebat pondo aut libras, ac in uno latere aurum purum duræ silici mixtum, in altero verò ipsam antimonii venam nigram. Est locus in Germania Goldgranach appellatus, prope quem in sudetis montibus, Germanis Fichtelberg appellatis, olim multum auri inventum est, hodie autem solum antimonium duris silicibus & scopolis insidens effoditur. Huic immixta est marcasita aurea, quæ ab eo separata, & debito modo præparata optimum evadit medicamentum, de quo postea mentio fiet. Si autem & hoc experientiæ quotidianæ testimonium nobis defset, testem tamen habemus ipsam veram Alchimiam firmissimè afferentem, quod artis adminiculo ex antimonio aurum verum elici queat. Nec verò hoc solum ars illa incomparabilis præstare potest, nimirum quod antimonium ad veram auri maturitatem perducere soleat; sed etiam ita aurum, animam extrahendo, ita mutet, ut non amplius sit aurum, sed & à quovis antimonii regulo ob formam, volatilitatem, naturam, & proprietates discerni planè non possit. Quamvis autem vel infiniti homines his meis dictis contradicturi essent,

essent, nunquam tamen à sententiâ meâ me abducent, qui credo, quæ oculis meis vidi. Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem. Qui his contradicunt, nullis aliis fundamentis nituntur, quâm iis, quæ legendo, & audiendo posuerunt, & experientiæ ipsi neutiquam respondent. In mea sententia constans permanfurus re ipsa demonstrabo, nullum in rerum natura subiectum repetiri quod in Medicina Antimonio præponi queat, si in veram suam Essentiam debito modo deducatur. Non præparatum, & adhuc crudum venenum merum, ejusque usum cum magnō periculo conjunctum esse fateor. Qui vitro ejus vulgari, aliisque ejus rudi modo præparatis medicamentis ad medicinam utuntur, ac damnum ægris inferunt, sibi, non antimonio, culpam adscribant necesse est. In Miraculo meo Mypdi, ut & prima Pharmacopœæ Spag. parte medicamenti ex antimonio parati mentionem feci, illudque panaceam appellavi. Superavit hoc captum plurimorum rudium, & ignorantium hominum, quibus verisimile videri non potest, in tam contempta & abjecta re tam admirandæ efficaciæ medicamentum latere, quod tanto Panaceaæ titulo insigniendum esset: præcipue cum nonnulli imperiti homines hujus panaceaæ loco crudum antimonium ægris exhibuerint, & meam panaceam esse dicendo homines sceleratâ audaciâ fefellerint, ac hoc pacto meam veram medicinam apud plurimos in odium & contemptum adduxer-

duxerint. Ex his est infidus ille Farnerus haud minimus, imò cæterorum antesignanus quem maculam & scandalum aliorum jure appellaveris. Per me quidem antimonium odio prosequi unicuique liceret: Sed quoniam illud jam laudibus extuli, & res ipsa etiam proximi emolumentum concernit, intermittere non possum, quin laudes ipsius adhuc majori præconio efferaam, & reipsa stabiliam, medicinam ex eo talem concinnari, qualem ego descripsi, ac proinde unicuique sine præjudicio aliquo de veritate judicanti fatendum esse, quod nullum melius, efficacius, & magis innocuum, ac viliori pretio acquirendum medicamentum divitibus juxta cum pauperibus suppetere possit, nimirum, ut par est, præparetur, & exhibeat. Ut antè bonorum medicamentorum studiosus videat, quod non in antimonio solo, sed etiam in aliis subjectis labores meos triverim, antimonii præparationibus adhuc aliorum subjectorum præparationes, usum, & efficaciam describendo adjungam, & ipse in humani generis, ac ægrorum utilitatem medicamenta illa paranda, & inter egenos distribuenda curabo. Hac ratione conscientiæ meæ satisfaciens non accusabor, quod concreditum mihi talentum ex proximi odio & invidia defoderim. Si quis aliis quid boni habet, illud in commune conferat, & misericordia commotus proximo suo inserviat. Sin nihil habet, aut nihil melius novit, horum contemptu supersedeat, nec ea contemnat,

nat, quæ ipsi ignota sunt: Quin ægros miseris  
iis non privet, quæ ipsis dare non potest, ut vir  
honestus & pius maneat. Quantum autem ad  
medicamenta attinet, de quibus hic agetur, ea  
pauca quidem sunt, sed talia, quibus post Deum  
confidi potest.

De Panacea vulgari ex antimonio paranda an-  
tehac scripsi, & ejusdem parandæ rationem do-  
cui. Cum verò descriptio diversis tractatibus  
dispersa, & obscurior sit, nec unus quis illos tra-  
ctatus omnes habeat, eam descriptionem hic re-  
petere, & in hunc tractatum conjicere consultum  
duxi. Præparatio maxima ex parte in calcinatio-  
ne per nitrum consistit, quod antimonii vene-  
num, & immaturam qualitatem corrigit, & im-  
mutat. Postea per Spiritum Vini pura pars extra-  
hitur, & extracta per abstractionem Spiritu Vini  
liberatur, ac tener, & spadiceus fit pulvis, qui  
efficere potest, quæ ipsis hic adscribuntur. Manè,  
antequam quid cibi capiatur, vino, cerevisiæ, ca-  
lido alicui jusculo, ovo forbili, vel pomo asso-  
mistus absorbetur, sequente aliquot horarum je-  
junio, donec ejus operatio absoluta fuerit. Dosis  
est  $\frac{1}{4}$ ,  $\frac{1}{2}$ , 1, 2, 3 aut 4 granorum ad summum, &  
quidem ratione ætatis & morbi, una vice; quia de  
re Lector Benevolus in primâ hujus Pharmacopœæ Spagyricæ parte, & in Miraculo Mundi plu-  
ra inveniet, quæ in ægrorum commodum hic  
etiam apponam.

*De communi hujus Medicinæ usu.*

U  
Niversalis hæc medicina in omnibus etiam  
recens natorum infantum, & senio confe-  
ctorum æquè ac fortium hominum morbis natu-  
ralibus tutò, & sine omni periculo, adhiberi  
potest, & quidem in dosi minima, quæ nemini  
fastidium aut nauseam movet, ut vulgarium po-  
tionum pocula integra exhausta facere solent.  
Nam dosis ista 1. 2. 3. aut ad summum quatuor  
grana non excedit, & commodè juscule alicui  
calido, vino, cerevisiæ, aquæ, vel lacti in cochlea-  
rialiquo, prout ægri ratio fert, mista sorbetur. Di-  
versis modis operationem suam absolvit, prout  
quis cupit, aut ægro opus est, vel morbus postu-  
lat. Nam dosis hîc præscripta si observetur, invi-  
sibili modo fit operatio, dum radicale humidum  
roborat, & purgat, & omne noxium mirabili ra-  
tione sensim ex toto corpore expellit, si quotidie,  
aut post alterum vel tertium diem in usum adhi-  
beatur, singulis diebus semel, prout cujusvis con-  
ditio & ratio illud permiserit. Ab omnibus no-  
xiis casibus & morbis unumquemque defendit,  
& ne minimam auram venenatam admittit. Si  
verò dosis augetur, etiam visibili operatione vi-  
res suas exerit, & per sudorem, aut urinam, &  
sputum, quandoque etiam per superiora & in-  
feriora omne noxium exturbat, operationemque  
suam pro lubitu cujusvis exercet, & dosios au-  
gmenta-

gmentationem aut diminutionem sequitur, ut  
utramque morbi ratio postulaverit. Dosi admo-  
dum exigua, & sine visibili operatione multos  
morbos, imò maximam eorum partem sanare  
solet. Sunt verò morbi, qui altas radices ege-  
runt, atque ideo etiam visibilem operationem  
requirunt, cum exigua dosi, quæ invisibiliter ope-  
ratur, penitus expelli non queant. Ideò cuique,  
quem hujus medicamenti præparatio & admini-  
stratio occupatum tenet, accurate hoc obser-  
vandum est, ut in administrando hoc medica-  
mento modi rationem habens eundem nec exce-  
dat, nec minuat, ac recte faciendo laudem &  
gloriam consequatur.

Ut clarius tota res percipi, & intelligi queat,  
certioribus circumstantiis, ejusdem medicamenti  
usum quem mihi experientia sèpius demonstra-  
vit, in nonnullis morbis gravissimis, ob oculos  
ponam, ut ægris consulatur, & eò minus erroris  
committatur.

In Peste, aliisque æstuosis, ac contagiosis fe-  
ribus, post auxilium divinum, hoc medicamen-  
tum quotidie dimidii grani ab infantibus, unius  
ab iis, qui mediocris sunt ætatis, & duorum, aut  
ad summum trium granorum dosi sumptum u-  
numquemque præservat. Sin verò aliquo isto-  
rum morborum correptus aliquis fuerit, pro æta-  
tis ratione dosis duplicanda, aut triplicanda, ut  
æger probè tectus sudare possit. Si una vice mor-  
bo liberatus non fuerit, proximè sequenti, aut al-

tero die ejusdem medicamenti dosis repetenda,  
& sic porrò pergendum est, donec morbus de-  
bellatus ejiciatur.

**2** Præservandi, & curandi modus hic non solum  
in Pestè, sed in omnibus contagiosis, & frigore  
aut æstu impetum facientibus morbis, & in om-  
nibus cuiuscunque generis febribus observandus  
est. Aliis medicamentis ægri non indigent, cum  
hoc satis potens & efficax sit, si serixæ preces ei  
adjungantur, ut horribilem, & abominandum  
illum morbum, pestem nimirum, ut & pleuræ af-  
fectum pungentem, cum febribus vulgaribus,  
Deo adjuvante abigat: Imo ex cæteris medica-  
mentis etiam optimis nullum est, quod huic  
præstet.

**3** In epilepsia infantorum, quorum auxilio tali  
destitutorum magnus numerus morte abripitur,  
panacæa hæc expertissimum & certissimum est  
remedium, mox post partum recens nato infan-  
culo octavæ aut quartæ partis grani unius dosi in  
pauco lacte, aut butyro non salso calido in os in-  
sertum, quod tertio, & octavo post die repeten-  
dum est. Si autem post aliquot dies, septimanas,  
aut menses paroxismus iterum sentiatur, dosis ali-  
quanto validior, si infantulo opus fuerit, toties  
exhiberi poterit, usque dum morbus abactus re-  
cesserit. Omnibus matribus hoc medicamen-  
tum maximè commendo, quandoquidem pluri-  
mi infantes aliâs satis fani & valentes sine auxilio  
aliquo mortis violentia abripiuntur. Medico-  
rum

rum nonnullorum error h̄ic jure taxandus est, qui infantulis vitra aquâ perlarum nullis viribus pollente plenâ, lapidis bezoar pulverem cum vel sine aqua, & similes res inutiles infundunt.

Provectioris ætatis homines quotidie unius, duorum, aut trium granorum dosi utantur, se ipsis commodum fuerit; sin minus, secundo, aut ad minimum quarto die post dosin iterent, idem tam diu faciendo, usque dum morbus vietus abierit. Non necesse est, ut aliquid aliud adhibeant, hoc tantummodo observantes, ut illo die, quo hoc medicamento usi sunt, frigidum aërem vitent, & 3. aut 4. horas ad minimum à cibo abstineant.

In lepra & similibus morbis detestandis, quocunque nomine etiam appellantur, ac omnigena scabie nullum reperitur remedium, quo sine omni molestia & labore affectus isti facilis tollantur, si hoc unum excipias, quod nunquam sperato effectu carebit, si æger earum adhuc est virium, ut curam sustinere queat.

In detestando & venenato morbo meretricum, qui Morbus Gallicus appellatur, hoc medicamento nil tutius, nil securius adhiberi potest, si dosis eousque, tantum augeatur, ut non solum validus sudor erumpat, verum etiam vomitus & sedes excitentur, ac alternis diebus medicamentum exhibendo tamdiu pergatur, donec æger convalescat, quod 8. vel 14. diebus fieri potest.

Hydrope obrutus æger quotidie dosi una utatur,

etur, & aliquot horas post medicamenti usum à cibo abstineat, quod & in aliis morbis factu necessarium est, sed non tam fortiter, ut gradatim tantummodo ab uno grano ad alterum ascendantur, usque dum nausea sine vomitu exoriens moneat, quantâ dosi ægro opus sit, aut quantam ipse ferre queat. Quod cum fit, postea dosis uno aut altero grano diminuenda, & diminutio eousque continuanda, usque dum omnis aqua per sudorem, urinam, & sedes exturbata, & æger pristinæ valetudinis compos factus fuerit. Nec est, quod quisquam dubitet, an hic morbus, nisi planè deploratus fuerit, solâ hâc meâ panacea radicitus tolli possit, cum experientia illud sole meridiana clarius demonstrare soleat.

In Podagra morbo cum leprâ & hydrope apud Medicorum vulgus incurabili habito hoc medicamentum admiranda operatur, & brevi temporis spatio plura efficit, quam quis opinari aut credere possit, si modò recte adhibeat. Brevis enim tempore affluxum noxiorum humorum retrahit, & invisibiliter ex corpore humano educit, ita ut de die in diem dolores pedetentim remittant, tumores minuantur, & paroxismus tolerabili evadat, tardius revertatur, ac tandem penitus evanescat. In Dosi observanda ea, quæ in hydrope modò docuimus, nimirum ut uni grano quotidie augmentum dictum accedat, ac tandem adveniens nausea dosin uno ac altero grano diminuendam ostendat. Æger hoc quotidie jeju-

no semper stomacho faciat, in calore se contineat, ac quatuor horas post medicamenti usum à cibo abstineat, necesse est, quam diu opus fuerit. Hæc, quæ dico, plures forsan offendent credituros, fieri omnino non posse, ut talis ac tantus morbus ab omnibus ferè incurabilis habitus, dicto medicamento extirpari possit: quam ipsorum opinionem in malam partem interpretari nequeo, cum & ipse ante paucos adhuc annos, priusquam hujus medicamenti miram efficaciam expertus eram, eadem opinione imbutus fuerim. Sed postquam experientia me aliud docuit, ut aliter jam judicare possim, verè ac sanctè assero, quod hic morbus neutquam incurabilis sit, sed bono & commodo medicamento (si modo non nimium inveteratus fuerit, & ægri vires ob senectutem & imbecillitatem medicamenti operationem ferre non recusent, & Deus ipse benedictionem suam non subtrahat) si non radicitus extirpari, maxima tamen ex parte expelli possit. Non est autem cur aliquis sibi persuadeat, si panacea hac utatur, perinde esse, sive sobrie vivat, sive quotidie noxiis, & vetitis cibis stomachum suum farciat, & vinum pro lubitu ingurgitet. His toto cœlo errantibus vel ipse Philosophorum lapis morborum omnium extirpater decantatissimus adjumento foret. Quicquid enim præstantissima ejusmodi medicamenta antè meridiem emendarent, & corrigerent, illud pomeridiana crapula, & copiosus cibi & potus excessus iterum destrue-

ret & corrumperet. Nec locum hic etiam habet  
eorum opinio, qui putant ab hoc morbo se libe-  
ros fore, si modo à vini usu planè abstineant.  
Nam non semper vini potus hunc morbum pro-  
creat, cum notissimum sit, hoc morbo affligi  
quandoque etiam pauperrimos, qui nunquam  
vinum biberunt. Unde non soli vino culpam  
imputandam manifestum est. Unaquæque re-  
pletio, sive vino, sive cerevisia nimia fiat, mor-  
bum quidem procreare, & augere, sed non sola  
potest. Plures aliae sunt causæ, ex quibus hic mor-  
bus exoriri solet. Ira frequentior profecto visce-  
rum internorum, œconomiam vehementissimè  
perturbat. Libido, & frequens sexus sequioris  
usus, qui plerunque tanquam pedissequus ebrie-  
tatem comitatur, vires corporis vehementer  
enervat, & debilitat. Hinc natura enervis & de-  
bilis quisquiliis & excrementis copiosis, ac à ni-  
mio potu & cibo relictis ex corpore expellendis  
non sufficit, ac proinde excrementis illis in cor-  
pore manentibus, & pro lubitu vires suas exer-  
cendo gravissimos morbos procreantibus non  
resistit. Nam qua parte natura imbecillior est, ea  
hostis primum impetum facere studet, ut prover-  
bio Germanorum vulgari hic sit locus, Sepem  
quisque condescit, quā parte humilior est. Idem  
plurumque in hujus morbi procreatione usu ve-  
nire solet, quando nimirum corpus nimio cibo &  
potu gravatur, & repletur, nimia vini fortioris  
ingurgitatione obruitur, & mox sequente coitu  
immq-

immoderato maximè debilitatur. Etenim Natura hoc pacto debilitata satis virium non habet, ut expellat excrementa illa residua, quæ summo totius corporis damno & incommodo vires acquirunt, & sibi sedem fixam parant, quod probè de hoc morbo notandum est.

Porrò Medicamentum hoc longè efficacius, quām omnia alia medicamenta, resistit omnibus lienis & hepatis obstruktionibus, quæ fanguinem corrumpunt, & gravissimos morbos, ut scorbutum, dolores arthriticos, erysipelatas, diuturnos capitis dolores, membra debilia, fœtentem anhelitum, & apud mulieres matricis suffocationem, mensium suppressionem, cordis palpitationem, syncopen, lipothymiam, vertiginem, & similes plures cognitos, & incognitos morbos excitant. His morbis omnibus dictum medicamentum medetur, pro morbi ratione sèpius aut rarius singulis septimanis adhibitum, & miros effectus producens.

Præterea hoc medicamentum omnibus illis commendō, qui Chirurgiæ operam dant, ut ejus tanquam summi remedii, quod nancisci possunt, rationem habeant. Nam quotidie dosi parva vulneratis propinatum omnia recentia carnis vulnera sine ullarum potionum vulnerariarum adjuvento, & externorum, ac ex plurimis simplicibus compositorum emplastrorum impositione sanat. Omnia enim symptomata prohibet, sanationem ab interiori fundo ad exteriorē partem promovet,

vet, & consolidationem absolvit, quod tamen de iis vulneribus intelligendum, in quibus ossa non læsa aut fracta sunt, quandoquidem ad hæc & manualis ars requiritur, quæ ossa fracta iterum componat, & reponat. Profundæ item punctiones more solito, & ut ipsæ operationes Chirurgicæ postulant, turündis necessariis obturandæ sunt. Præterea nihil externi adhibetur necesse est, nisi propria ægri urina, & aqua salsa, quibus vulnera lavanda, & post ablutionem puro linteo tegenga, ne ab aëre frigido lædantur.

Si autem vulnera periculosa & nimis magna essent, ipsis adhuc balsamus aliquis vulnerarius, & emplastrum ex floribus mineralium aut metallorum, cera, terebinthina & oleo compositum (qua'ia emplastra in aliis meis scriptis compонere docui) adhibendum est. Ita non necesse est, ut tot olea, unguenta, emplastra, & similia vulneribus recentibus applicentur. si hoc nostrum medicamentum quotidie vulnerato alicui absorbum detur.

In apertis, fistulosis, putridis, & fœtentibus ulceribus cum admiratione hoc medicamentum officio suo fungitur, nec externis remediis ullis opus est, nisi balsamo aliquo minerali, ulcus purum conservante, & communi ex cera, & terebinthina emplastro aërem frigidum arcente. Sic enim hoc medicamentum ab interno fundo sationem ordiens eam feliciter usque ad externam cutem deducit, & omnia ulcera, sine ullis alijs

aliis quām dictis remediis externis penitus consolidat, & perfectē curat.

Postquam autem ea mentem meam incessit meditatio, quod non cujusque sit medicinam præscriptam parare, & tamen plurimi inveniantur, qui ejusdem participes reddi velint, consultum mihi visum fuit hanc adjungere admonitionem, & ab iis, qui hoc medicamentum parare noverunt, postulare, ut eos, qui modum præparationis ignorant, ejusdem etiam Christiana dilectione moti participes reddere non graventur; Non autem perversi mundi more suo proprio commodo tantum studeant, & divitias corradant, sed impensis sumptibus, & laborum præmio æquo & honesto contenti sint. Quia etiam medicamentum sœpe dictum tam in forma pulveris quam in forma liquida in alia loca transmissum non ab unoquoque debito modo adhiberi posset, dum in guttarum mensuratione & granorum ponderatione error facile committeretur, & aut plus aut minus applicaretur, necessarium omnino duxi, ut tanto minus in ejusdem administratione erroris committatur, illud in pilulas redigere, ita ut una pilula unum granum, duæ duo grana, & sic deinceps confiant, & ægro mensuratione, & ponderatione opus non sit, sed tantum pro morbi ratione, ex præscripto meo una, duabus, tribus, quatuor, aut pluribus pilulis una vice uti queat.

Atque hæ sunt panaceæ meæ ex Antimonio confe-

confectæ virtutes præcipuæ : Quæ restant, & hic  
brevitatis causâ omittuntur, ex circumstantiis  
descriptis facilè ab unoquoque judicio non ca-  
rente intelligi & agnosci possunt. Earum tamen  
etiam in hujus tractatus libro primo facta est  
mentio. Ideo adhuc testor, quod omnia, quæ  
huic medicamento adscripsi, imo longè plura (si  
benè ac ritè paretur, & administretur) illud præ-  
stare & efficere possit, præcipuè si seria divini  
Nominis invocatio accederit. Nam preces, & fi-  
ducia in Deum quamvis medicinam roborat, &  
benedictione sua fortunat, quamvis impius hoc  
credere aut audire nolit. Medicamentum qui-  
dem aliquod, divino permisso, sine precibus pri-  
stinam alicui valetudinem restituere ac panis sine  
gratiarum actione famem sedare potest, quod a-  
pud irrationales creaturas quotidie usu venire so-  
let : Sed hæc donorum Dei fruitio bestialis, &  
non humana est : Illa autem verè Christiana,  
quando in morbis Dei auxilium invocatur, &  
postea medicamenti usus admittitur; Quam me-  
dicamentis utendi rationem felix eventus neces-  
sario sequitur. Quod vero tibi persuadere velis,  
quod hujus medicamenti operâ quivis morbus,  
quantumvis inveteratus, sine omni discrimine  
tolli certe possit, vehementer erras. Hic nos de  
ejusmodi morbis loquimur, quibus naturalia re-  
media, permisso divino, mederi possunt. Quan-  
doque in hominibus interna viscera crassis hu-  
moribus adeo constipata, & obstructa sunt, ut  
vel

vel efficacissimis medicamentis liberari nequeant. Nonnunquam pulmo & epar ferè penitus computruerunt, antequam verus medicandi locus queratur: *Quis autem quæ jam amissa sunt, restituet?* Non iterum hominibus interna viscera, & præcipua membra semel amissa crescent, ut cancris chelæ, & araneis pedes, quos fractos amisere. Aliquando etiam Deus homini morbum aliquem imposuit, cuius curam permettere recusat. Tales & similes morbi ut naturalibus mediis tollantur, fieri non potest. Apud Deum omnia sunt possibilia, qui solus in ejusmodi morbis opem & auxilium ferre potest, quandocunque vult; opitulari autem præter ipsum solum nemo potest. Sunt ergo morbi incurabiles, qui panacea mea curari nequeunt, & non Quartana, Lepra, Podagra, Epilepsia, & Hydrocephalus, ut maxima hominum pars opinatur, quamvis experientia contrarium testetur. Ac licet omnes morbi humani cum ipsorum annorum & ætatum progressu in deterius vergant, & molestiores evadant, ac cum ipsis peccatis crescant, & augeantur, benignissimus tamen Deus hoc etiam largitus est, ut magis ac magis efficacia remedia naturalia ab hominibus diligentibus instinctu divino inveniantur, ac proinde nunquam finiatur auxilium Dei, qui vulnerat quidem, & postea iterum sanat, ac omnipotentiam suam ostendit. Optandum sane esset, ut inutiles concertationes, & vanæ doctorum & philosophorum dispu-

disputationes & velitationes tandem finem invenirent, & in earum locum timor Dei succederet, ac nobis alium mundum daret. Nam timor, & vera Dei agnitus singulare in hominibus lumen accendunt, quo quicunque caret, Andabatarum more pugnans in tenebris crassissimis versatur, ac in Naturæ mysteriis talpa cœcior est. Maxima hominis cura, opera, diligentia, & labor hodierno tempore in eo potissimum consistit, ut proximum suum odio habeat, contemnat, oppugnet, imò penitus detestetur, & anima ac corpore orco devoveat; quod tamen fieri non deberet, cum Deus nolit, ut unus homo alterum condemnet, sed sibi ipsi vindictam, & poenam reservarit. Ubi amor proximi deest, nec salutis alicujus spes est, quocunque modo etiam opinio concepta defendatur. Quid commodi arbor sine fructibus in commune conferre potest. Multo garritu, & eleganti disputatione satisfieri nequit Deo humile & obsequium debitum præstans contentum querenti, & purum idem requirenti, in quo Spiritus Sanctus habitare, & nos in omnem veritatem deducere queat. Ubi hoc non offendit, eodem etiam non venit, & superbum ac litigiosum cor Satanæ mendaciorum parenti, ac tenebrarum custodi possidendum relinquit. Hinc tot lites, tot discordia, & tot contentiones in per verso hoc mundo oriuntur, ac vera Dei Naturæque agnitus (cujus nihil ferè superest) supprimitur.

mitur & amittitur, totusque mundus magis opinionibus errantibus, quam scientia vera regitur. Ob vanitatem igitur infinitam, qua doctorum cohors ingenia macerat & tempus terit, Naturæ mysteria admiranda, summo hominum incommodo in tenebris sepulta, & planè incognita manent.

Sola & unica hæc est causa, cur tam exigua Naturæ cognitio his temporibus apud Doctos inveniatur, quod Deus aliquando mutabit, ac in meliorem rerum statum transferet.

Sed hæc de Vulgari Panacea Antimoniali dicta sufficient. Nomen hoc Panacea invidorum nonnullorum oculos configit, qui hoc medicamentum tali nomine indignum judicant, cum ex tam abjecto, & contempto subiecto paretur, & etiam quandoque nimis imperite tractatum vehementes vomitus excitet, quod nulli Panaceaæ convenit. Ut his respondeam, Panacea nomen medicamentum denotat, quod in omnibus morbis cum fructu adhiberi potest, quod Panacea ex Antimonio etiam præstare solet, ut quotidiana experientia testatur. Quod autem ex vili & à multis ignorantiae fratribus contemptu subiecto petatur, nomini nihil derogat, si modo medicamentum ex eo evocatum ea præstet, quæ de ipso prædicantur. Quid Davidem contemptu illum pastorem ad regnum evexit? non vile nomen, non vilis ortus: quod idem & de hoc medicamento intelligendum est. Nobilissima efficacia,

& operatio ipsi hoc nomen attribuit, non vilis ortus, non contempta nativitas, & forma abjecta. Nec impedimento quoque est hoc, quod ex abjecto & ab ignorantibus contempto subiecto patetur, quod ante præparationem venenum fuit, siquidem venenum jam artis & ignis opera in salubre medicamentum transmutatum est ; cuius fortior operatio vehementiores vomitus excitans non ipsi medicamento, sed abusui adscribenda. Optimum vinum, & fragrantissimi odoris aromata homini iis abutenti venena sunt. Optimam medicinam abusus in venenum, hoc autem ipsum ars & ignis in medicamentum convertere & posse sunt, & solent. Quod saepius dixi, hic repeto, & Deum ac veritatem testor, me nullum unquam subiectum reperisse, quod commodius in salubrem medicinam transponi possit, quam vile & contemptum Antimonium, quod in pauperum usum præparandum curabo, ac divitibus commendabo Panaceam auream purpuream, quæ eandem cum priore efficaciam habet, sed in eo ab illa differt, quod lenius operetur, in operatione adhuc minus sensibilis sit, infantibus æquè ac senibus longè tutius adhuc adhiberi queat, & in dosi duplicanda sit. Paucorum ab hinc annorum spacio plures summæ & imæ conditionis homines, hujus medicinæ opera, non solum podagra, sed etiam aliis morbis gravibus & inveteratis liberati sunt ; nec unquam audivi, quamdiu ipsam præparatam in proximi mei commodum adhibui, quod sine

sine fructu aliquo ejus usus abierit; nec est, cur quis vereatur, ne, ut in vulgari Antimoniali medicamento, ejus abusu aut excessu peccari queat. cæterum aurea hæc medicina raro ægris vomitum excitabit, nisi peccanti abusu modus exce- datur, aut dosis nimium extendatur. Ea de causâ aurea hæc medicina im posterum in forma pulve- ris purpurei & vulgaris antimonialis, quoniam rubrum pulverem referens facile imitando effin- gi, atque ita loco Panaceæ ægris male præpara- tum antimonium vendi posset, non nisi in forma pilularum, quarum quævis unius grani pondere constabit, ne ægrî sive ponderatione sive appli- catione errorem committere possint, apud me reperientur. Illa vulgari ætatis mediocris & adul- tioris homines uti poterunt. Auream lenius & tutius operantem infantibus, & senio confectis ac debilibus personis commendô. Antimonialis in forma pillularum maxime commoda esse pos- set in navigationibus istis longinquis in Orienta- lem & Occidentalem Indiam institutis, in quibus milites, & nautæ scorbuto vehementer vexantur & debilitantur, & parum tamen remedii ex me- dicamentis, quæ penes se habent, sentiunt; cum hoc medicamentum ipsis tantum auxiliî ferre possit, ut fortiori & lætiori animo iter suum con- fecturi essent. In tota enim rerum natura mihi nullum subjectum hactenus innotuit, quod ma- jori efficaciâ omni putredini, sanguinis & inter- norum membrorum oppilationibus se oppo-

nere possit, quām medicina hæc, quam milites & nautæ tanto pretio non vendibilem, nec etiam corruptibilem facili negotio secum habere, & casu necessitatis incidente ad usum adhibere possunt. Nullum medicamentum in mundo toto commodius, nullum salubrius tām nautis in mari vasto plures menses versantibus, quām militibus in castris omnis generis incommoditates & molestias tolerantibus, & vitam inordinatam de gentibus invenietur. Ideò Chirurgi in navibus pariter ac castris si hoc medicamento instructi essent, plurium profectò nautarum, & militum vitam conservarent, ac unica uncia exiguo precio comparandâ, ex quâ aliquot dosium centurias confiscere possent, facile plus, quam tota sua arca parvarum virium medicamentis repleta, effecturi essent. Si Medicus, aut Chirurgus aliquis castra sequens aliquot saltem uncias in promptu haberet, pluribus millibus vitam conservaturus esset, quibus alias miserè pereundum foret. Medicamentum est portatu & conservatu facile, cujus rationem jure ac merito habendam asserimus, cum exercitui Imperantis multum intersit, ut militibus Peste, scorbuto, dysenteriâ, febribus malignis, aliisque morbis similibus oppressis, quibus ut muscæ frigore ingruente, catervatim pereunt, auxilium præsens feratur: His morbis omnibus medicamentum hoc incomparabile facili negotio resistit. Eâ de causâ operam dabo, ut hujus medicamenti copia in posterum apud me reperiatur,

tur, & ejusdem compotes fiant ii, qui necessario  
ejus usū indigentes illud apud me quærent. Fun-  
gar officio boni Christiani, qui non sibi ipsi soli,  
sed etiam proximo suo natus eidem auxilio esse  
debet, quemadmodum manui manus, & mem-  
brum membro auxiliatur, quod certè unicuique  
necessarium quisquè majori cura observare jure  
ac meritò deberet. Hanc antimoniale in for-  
ma pilularum, & auream purpurei coloris pana-  
ceam sequitur Nepenthes meum, seu medica-  
mentum anodynū omnes dolores sedans, quod  
ex opio correcto, Croco extracto, & vitrioli sul-  
phure volatili componitur. Opium stupefacti-  
vum, & soporiferum esse neminem latet, cum  
ejus correctio, & præparatio à multis descripta, &  
tradita extet. Etenim quia animadverterunt, quod  
nonnunquam imprudenter adhibitum, non sopor-  
rem solum attulerit, sed etiam soporis fratrem  
mortem advexerit, ita ut ægri sopore æterno so-  
poti expergesieri rursus non potuerint (medica-  
mentum scilicet laude dignum, & gloriam in-  
gentem concilians) venenum hoc adimere ne-  
scientes summo studio in id magis ac magis in-  
cubuerunt, ut opium corrigerent, & vim istam  
venenatam domarent. Fortiter itaque siccatum,  
& in pulvrem redactum, aut spiritu vini, aut  
aceto solverunt, aut extraxerunt, menstruisque  
his per distillationem abstractis ad mellis consi-  
stentiam extractum opium deduxerunt, eique  
croci optimi partem aliquam immiscuerunt, quo

venenatam Opii qualitatem domare & corrige-  
re conati sunt. Alii pulverem illum anisi oleo,  
storace liquida aut croco extracto (quæ simplicia  
sine opio soporem conciliant) milcentes massam  
confecerunt, & correctionem optimam judica-  
runt, utpote quæ in omnibus apothecis ubique  
hactenus usitata à Medicis in plurimis gravibus  
morbis admodum feliciter quandoque exhibita  
est, & hactenus jure in usu mansit, cum melior  
& tutior reperiri non potuerit. Sed cum melior  
& tutior jam reperta sit, æquum est, ut hæc ad-  
mittatur, & illa vilior omittatur. Ab eo tem-  
pore, quo Solventis Universalis, sive humidi, &  
frigidi ignis usus mihi innotuit, multa ejusdem  
subsidiò subiecta indagavi, & correxi, ac inter alia  
etiam opium meo modo in Nitriliuore solvi ac  
paravi, & insignes in eo effectus animadverti,  
præcipue quando ipsi adjunxi Sulphur vitrioli  
volatile, quod alias insigne & incomparabile  
somniferum & anodynū miro successu omnes  
dolores sedat: Addidi his quoque croci essen-  
tiā cordis vires mirè roboran tem. Opium non  
correctum est vehemens stupefactivum Saturni-  
num, quod immodico stupore vires vitales quasi  
constringit & suffocat, adeò ut frequens ejus usus  
homines pallidos reddat & faciat, ut plœrumque  
ore & oculis apertis dormiant, & prius difficulter  
excitari possint, quā de causā etiam plures ab usu  
eius merito abhorrent. Olei anisi, & croci addi-  
tio

tio ejus sævitiam quidem aliquatenus inhibere, sed penitus domare non potuit quod tamen hoc modo factu facile est nimis nimurum quando opium in pulverem redactum, Spiritus vini aut aceti loco. Vitrioli spiritu volatili solvitur, per chartam bibulam colatur, cum contrario liquore nitri præcipitatur, aqua communis eluitur, exsiccatur & cum essentia croci in massam præparatur, in qua operatione sulphur vitrioli narcoticum opio, quod longè melius est, se adjungit, illudque spiritu suo sulphureo, & acido corrigit. Quod autem Spiritus vitrioli ad hanc rem aptissimus sit, Lettori Benevolo ostendam. Vulgare vitriolum ut plurimum sale Sulphureo, & ferrum, aut cuprum continente terrâ constat. Quando autem illud per ignem distillatur, Spiritus Salis ex Marte volatilem & Sulphureum spiritum secum abripit, qui contrario aliquo præcipitatus Sulphur subtile narcoticum, paucum quidem, sed efficacissimum dabit, de quo in secunda furnorum meorum parte mentionem feci. Sin vero aequali pondere limatum ferrum, ut scoria ferri per malleum ab incude deturbata Vitriolo calcinatum dimidiâ parte Salis petræ addatur, & ex his materiis conjunctis aqua eliciatur, Spiritus Nitri majorem Spiritus Martialis copiam secum abducit. Hic Spiritus Volatilis Sulphureus à Spiritu corrosivo distillatione finita per rectificationem separandus, & in vas recipiens aquæ communis aliquantum continens eliciendus est. Hoc Spi-

ritu volatili rectificato, non autem corrosivo illo, qui in rectificatione in fundo vasis remansit, ad opii solutionem & correctionem utendum est. Quanquam autem etiam antehac nonnulli diligentes Chymici Sulphur hoc Narcoticum in Vitriolo juxta mecum odorati sint, parum tamen in ejus præparatione effecimus. Tandem aliquando, cum quodam tempore Vitriolo calcinato ferrum limatum addidissem, ut Aquam fortè distillando evocarem, casu retorta maxime candens rupta est, ut materia in ignem delabetur, ex quâ tam ingens fumus sulphureus per laboratorium meum se diffudit, ut in eodem manere non potuerim; prunis igitur summa celeritate ex furno exemptis, ob angustias & suppressiones, quibus me Spiritus ille obruerat, ægrè per januam ex laboratorio evasi, & aëre recente recepto ad me redii, atque totam domum fumo illo repletam animadverti, cuius emittendi causa fenestras & januas ædium omnes aperui. Hoc labore occupato mox aliud ingruebat periculum à prunis ardentibus, quæ ex furno extractæ, & candentes proximos carbones inflammaverant. Instans ergo incendii periculum ut in aquæ defectu declinarem, & nocturno hoc tempore evitarem, ad cæteros in camera dormientes accurri, ut surgentes aquam peterent, & mihi incendium extinturo auxiliarentur. Arctissimè tamen dormientes frustra inclamanti & agitanti ad incendium restinguendum, quounque modo possem,

redeun-

redeundum fuit. Hoc sedato in cameram rediens, ut quid agerent, viderem, omnes arctissimo somno oppressos reperi, adeò etiam, ut sudor per faciem omnibus manaret, quamvis tempus hypernum esset. Postquam illuxisset, expergefacti surrexerunt, quibus periculum narravi, & quod ipsos expergefacer non potuerim. Omnes vero se somniaisse fatebantur, quod gravi re aliqua oppressi se movere non potuissent. Ex hoc casu duo didici; primum, quod in Vitriolo & Marte Sulphur summè narcoticum delitescat; alterum, quæ causa sit, quod nonnunquam homines, melancholici præsertim, nocturno tempore, se aliquâ re oppressos non tamen expergefieri posse, somnient. Sulphurei nimirum, Martiales & Saturnini vapores, qui cerebrum & cor in angustias tales conjiciunt, & quasi vinculo Spiritus Vitales constringunt, somnia talia causantur. Retorta igitur rupta mihi medicinam præstantem, & morbum eidem subjectum detexit, adeò ut nihil tam malum sit, ex quo boni quid quandoque emergere non possit. Hanc historiam bonorum medicamentorum studiosis gratificaturus ad præcedentia adjungere operæ precium duxi, eâ spe fatus quod nemini tedium paritura sit. Consideratione quoque dignum est, quod in eodem casu uni ex infantibus dormientibus evenit, cui capite admodum phlegmatico prædicto hujus summi efficacia Catarrhi adeò soluti sunt, ut postea sano capite semper fuerit. Hinc in Vitrioli Sul-

phure plura, quām credi possēt, inveniri conjectura providebam, & cum opio correctō illud coniungebam, cuius medicinæ frequenti usu plures infantes ab epilepsia liberavi, & præterea compēri, quod & ætate proiectioribus, & senibus maximè conducebat, eā tamen conditione, ut Panacæa mea antimonialis mediocris ætatis hominibus, & infantibus ac senibus aurea panacea prius adhibeatur; quibus præmissis præstantissimum hoc Nepenthæ colmelius & commodius vires suas exerere potest. Cæterum hoc medicamento omnes interni dolores, animus inquietus, mentis alienationes in febribus sedantur, quietus & lenis somnus conciliatur, venti & inflationes infantum ac adultorum ventrēs & intestina afflgentes arcentur, ingenium bonum, & hilaris animus conciliatur, omnes feri, inquieti, & cor, ac cerebrum turbantes spiritus compescuntur, ac sopiuntur, spiritus vitalis humoribus corruptis vinctus & suppressus in pristinam libertatem vindicatur, & amissæ corporis vires adeò feliciter restituuntur, ut evidentissimum auxilium mox percipiatur ac in primis quidem, si opium Spiritus Vitrioli volatilis operâ probè correctum fuerit. Hoc idem commodè etiam Nitri liquore fixo corrigi, & per Spiritum Vini extrahi, ac in essentiā redigi posset: Sed hæc per Spiritum acidum facta correctio illâ, quæ per Nitrum fixum fit, melior & commodior est. Nam in correctione per Nitrum fixum essentia correcta extrahenda est.

est per Spiritum Vini, qui Opii vires nimis volatiles & penetrantes efficit, quod hic non quæritur, cum longè melius sit, ut opium tardè, & non adeò validè hostem suum aggrediatur, quod necessarium omnino esse experientia ipsa testatur. Præstantissimum igitur hoc medicamentum una est quatuor columnarum cardinalium, quibus tota medicina innititur. Panacea Antimonialis præstantissimum & tutissimum est purgans omnibus pravis humoribus ex corpore exturbandis aptissimum: Panacea aurea optimum & excellentissimum est diaphoreticum, & sudorificum: Opium autem correctum & Sulphur Vitriolatum eminentissimum est anodynōn, & somniferum medicamentum,

*Diureticum, & Nephriticum ex aliquot vermibus, spiritus cuiusdam vegetabilis appropriati operā, extractum, & excellentibus vi-ribus præditum.*

¶. Cantharidum 3 j. Asellorum 3 ij. in Phialam immitte, illaque 3 iij. Spiritus Nitri affunde, ac leni calore vermiculos solve, ut in aquam redigantur, quod paucis horis fiet; aut aliquot dies & noctes in cellâ aliquâ relinque, in quâ æque ac in calore solventur: Huic solutioni postea adde lumbricorum 3 iij. & per dies aliquot adhuc in cellâ relinque. Omnia soluta per tenerum & densum linteum infundibulo vitro impositum

cola, ut solutio à fecibus separetur, quæ si adhuc crassiores fuerint, probè digitis linteum comprime, ut tota solutio à fecibus sejungatur. Feces in linteo residuas abjice. Solutioni per infundibulum in vitrum collatæ affuude Nitri fixi liquorem sensim, & tamdiu, donec omnis ebullitio cesaverit, & omnia probè præcipitata fuerint. Omnibus peractis liquores effundendo à vermiculis separa, & coagula, ut in salempetræ porrò ad alios usus adhibendum revertatur. Vermiculos præcipitatos aquâ communi probè ab omni salsedine libera, & leni calore sicca, ut in pillulas formari, aut in electuarium redigi possint: quod medicamentum 1. 2. 4. 6. 8. & ad summum 12. granorum dosi, pro ægrorum conditione in renum & vesicæ calculo tutissimè & sine omni periculo usurpari potest, quippe quod urinam, & fabulum, ac tartarum in renibus & vesica nondum concretum educit. Si quis cupiat, ut majori efficacia vires suas exerceat, solutos, præcipitatos, aquâ lotos, siccatos, & correctos vermiculos spiritu aliquo ardenti ex saxifrago, petroselino, juniperi baccis, fraxino, aut similibus calculum pellentibus herbis extrahere poterit, ut iterum feces separantur, & spiritus purissimam essentiam attrahat. Hic in Balneo leni calore separatus in fundo relinquit essentiam rubro balsamo similem, quæ in nominatis morbis longè suavior, commodior & jucundior est, quam antè extractionem in pulveris, pillularum, vel electuarii formâ fuit.

NB.

NB. Si ex lumbricis Venereum medicamentum parandum esset, Cantharides, & Afelli omittendi, & lumbricis dimidia pars adjungenda est vermiculorum illorum Venerorum, qui æstivis mensibus gregatim in hortis asperibus putridis, & maris vetustis adhærent, his addenda boleti cervini pars quarta, & omnia paranda eo modo, quem docuimus, & præscripsimus. Lumbrici autem colligendi sunt eo tempore, quo terra post frigus se aperit, & perfodi potest, ut vermes isti acquiri possint, antequam ex terra eruperont, & coitu mutuo se enervarunt, cum ita acquisiti miris viribus polleant, & longè efficaciores, quam postea existant. Hi vermes soluti, præcipitati, & communi aqua probè loti, si adhuc scemel per Spiritum Ardentem ex Satyrio, lupulo, aut asparagi radicibus parato extrahantur, & in suavem essentiam redigantur, medicamentum contra impotentiam præsens, & efficax evadunt.

Omnia diuretica, ac præcipue lumbrici, maturata & correcta appetitum Venereum robordandi vim habent. Correctio autem ipsorum non sit culinario, & fœminis usitato modo, ubi vinum, saccharum, aromata, & similia subjecti alicujus corrigendi causâ adduntur. Peragenda vero est ignis beneficio, more Philosophico sine aliarum rerum additione, non quidem igne culinario, sed Philosophico illo humido, vaporoso, digerente, alterante, penetrante, maturante, commendante, conservante, & in gradu æquali semper

perdurante igne , qui in Nitro quærendus est. Magnus in vegetabilium decoctionibus error committitur, dum herbæ, flores, semina, & similia liquoribus nonnullis, aquâ nimirum, vino, cerevisiâ similibusque igne subiecto decoquuntur, & decoctum , q̄rāt omnes herbæ vires extraxerit ægro potandum exhibetur, nec interea animadvertisit, quod in ejusmodi decoctione penetrans & efficax sp̄ritus ac suave oleum cum aqua evaporante in auram evanuerit, quod tamen facile olfactu ipso sentiri posset , cum in ejusmodi decoctione vapor exiens suaviore semper odore præditus sit, quam reliqua, quæ remanent, & in medicinâ usurpantur , quod nemo negare potest. Cur herbarum aquæ in Pharmacopoliis, in quibus magnâ copiâ ad usum adhibentur , & divenduntur, non amplius in Balneo per se, sed maximam partem per vesicam additâ aquâ communî , ne adustione laedantur destillari solent? De quibus etiam dicitur, quod ejusmodi aquæ æquè bonæ sint, ac illæ quæ in Balneo per se sine aquâ destillantur, quod etiam veritati consentaneum est; quandoquidem in distillatione subtilissima herbæ humiditas tantum ascendit, & aqua communis tanquam gravior in aheno manet. Unde etiam in ejusmodi operatione certum signum habent, nimirum quando aqua ascendens herbam distillatam non amplius sapit. Tunc enim ab opere desistunt, & residuam aquam cum herbâ abjiciunt. Cæterum qui herbarum aquas suaviores

& efficaciores reddere student, aquam quæ per distillationem ascendit, recenti herbæ affundunt ac denuò distillando purissimam herbæ partem eliciunt, & aquam suam efficaciorem reddunt: Qui herbarum aquas parandi modus bonus & commodus est. Nemo quoque ignorat, quod vegetabilium spiritus, & olea aquæ copiâ additâ per vesicam distillanda sint, ut in prima hujus Pharmacopœæ parte docuimus. Vulgarem itaque herbarum in aquâ decoctionem nullius prætii esse, optimamque partem decoquendo in auram evanescere, ac partem minus suavem & efficacem remanere manifestum est. Sciunt hoc nonnulli coci periti, qui nunquam aromata carnî in ollâ addunt, nisi prius caro cocta, & jamjam mensæ apponenda sit, quo carent, ne longa decoctione optimus aromatum odor in auras evanescat. Cerevisiæ coctoris lupulum coquentis, aut Pharmacopolæ ædes prætereuntium nates penetrans fragrantia multò suavior est, & quasi cor magis roborat, quam quæ remanent, & hominibus bibenda sunt: quod ob prædictas rationes aliter etiam se habere non potest, cum potissimæ & optimæ vires coquendo abeant. Ideo, quæ antea dixi, dicendo hic itero, & Decoctionem illam per aquam universalcm igneam, quæ in frigore fit, illi alteri longè præponendam esse affirmo. Quod maxima ciborum, quibus vescimur, pars, sive carnes sive pilæs, sive olera furent, ut à stomacho digeri & concoqui possint,  
antea

anteâ aquæ adjumento in culina, ne ab igne aduentur, decoqui soleant, tam est notum quam quod notissimum. Cur & medicamenta eodem modo non parantur? Ac quanquam in carnium, piscium, & olerum decoctione aliquid de viribus decedit, magni tamen momenti non est, cum residua parte totus stomachus farciatur, ut inde corpus suum nutrimentum capiat: In medicinalibus autem decoctis tanta copia non adhibetur, sed parum de ipsis hauriendum ægris propinatur: Ideo etiam ipsis suæ vires necessariæ relinquendæ, & in decoctione per vaporem non abigendæ essent, quod tamen fieri non potest, quando decoctiones ejusmodi in apertis vasis communi aquâ, & igne perficiuntur. Quâ de causâ hic meus modus per aquam igneam isti alteri longè præferendus est. Nam in decoctione hâc ne minimum quidem de herbæ aut animalis viribus abire potest, cum in frigore fiat; Sed omnia in aquo igne, aut ignea aqua unâ manent, maturantur, emendantur, & in medicinam mutantur, ac, sive velint, sive nolint, mutari debent. Ut aliquo discedant & abeant, nullus ipsis locus datur, ut in altera illa decoctione, ubi nobilissimæ vires in auras erumpunt. Ideò omnibus Medicis peritis hic digerens, conservans, maturans, & emendans ignis & aqua, quibus medicamenta sua parent, maximè commendatus esse deberet, saltem vel ob aliquot pauca medicamenta bona, quæ alias acquiri nequeunt, ut ex diureticis apparat, quæ per aquam

aquam hanc Philosophicam inversæ non solum multò tutius postea urinam & calculum, ac cuncta quæ ad ipsa pertinent, expellunt, sed etiam corroborant, quod omnia calidam, subtilem, & penetrantem naturam habentia simplicia & composita etiam facere solent, adeò ut non amplius urinam & calculum vi magna expellendo dolores & cruciatus causentur, sed eadem leniter, & suaviter ad exitum promoteant, ac simul virilem naturam roborent, & conservent; è contrario autem immatura illa & cruda simplicia immaturitate, & feritate sua adhuc noceant, & non solum urinam pellant, verum etiam dolores concident. Materia hæc, & proposita de aquo igne, & ignea aqua cuius beneficio venenata vegetabilia, animalia, & mineralia in salubria medicamenta mutare docui, dissertatio in discordes aliquem cogitationes adducere posset, ut ipsi mirum videatur, quod Nitri fixi liquorem, & Nitri corrosivi spiritum igneas aquas, & aqueos ignes appellem, cum tamen in ipsis nullus ignis visibilis apparat. Horum animis ut scrupulum hanc eximam, Nitrum nihil aliud quam merum ignem esse primò mihi demonstrandum censeo. Nitrum igitur prunæ ardenti impositum totum conflagrat, & in auras evanescit: quod & ipse pulvis pyrius testatur, in quo Salpetræ cum additis reliquis materiis totus in aërem disploditur. Per calcinationem nitrum ad fixitatem seu constantiam in igne deductum, aut per distillationem in corrosivam

rosivam aquam distillatum ignem suum non admisit, sed perfectè adhuc secum habet. Hoc verum esse arguit illud, quod uterque ille liquor fixus, & corrosivus ac volatilis confusi naturam per ignem acquisitam deponant, & ad pristinam Salisperæ naturam redeant. Unde manifesto probari potest, quod uterque tām liquor scilicet nitri fixi, quam acidus spiritus igneæ aquæ nominari & debeant & possint, cum & re ipsa etiam vires suas igneas demonstrent; Nam ignem suum adhuc penes se habent, & omnia liquant, ac in aquam redigunt, quæcunque ipsis imponuntur. Hanc demonstrationem intellectu præditis, licet in Naturæ lumine non admodum periti sint, sufficiente indicio tamen satisfacturam spero. Imperitissimis autem hominibus, qui plerunque res etiam sibi ignotissimas judicio suo imperitissimo metiri volunt, ut etiam occurram & clarissimè ob oculos ponam, quod dictæ aquæ meri & veri ignes existant, ipsis author sum, ut experundiæ veritatis causa guttulam saltem, aut granulum minimum linguæ suæ imponant, & videant; anno momento citius ignem illum in aqua occultum animadversuri & dicturi sint, perinde esse ac si lingua sua pruna ardente tacta fuisset. Si autem ipsamflammam videndi desiderio teneantur, utrumque aut alterutrum liquorem coagulare & concentrare possunt, aut per antimonium aut per lapidem Calaminarem, à quo omnia corrosiva concentrari, & aquam adjunctam dimittere potissimum

tissimum amant. Flammam igitur libenter visurus concentrato Spiritui acido, vel Liquori fixo Nitri Spiritum vini purum & ab omni phlegmate segregatum affundet, qua affusione occultus Nitri concentrati ignis mox se manifestabit, & spiritum vini accendet ac comburet. Sin alia ratione quis veritatem investigare voluerit. Nitrum per Regulum antimonii Martiale figet, in igneam massam coagulabit, & in forti vase terreo probè obturato, ne aër ingredi possit, conservabit, ut ignis pro lubitu ejus tamdiu occultus maneat, quamdiu voluerit. Sin velit, ut incalescat, parum aquæ vasi infundet; quo facto ignis occultus mox manifestatus vas adeò calidum reddet, ut manu tolerari calor non possit: quo plus aquæ affusum erit, eò calidius vas evadet, adeò ut tandem etiam aquæ affusione nimia in frusta dissiliendi periculum subeat: Ideò modus in aquâ affundendâ tenendus, si quis velit, ut vas diutius duret, & calorem reddat. Secretum hoc non modo naturæ miracula docet, sed etiam iis utile est, qui hyberno tempore, sive curru sive navi, die & nocte, in magno frigore iter faciunt, & ejusmodi vas adiumento se calefacere possunt. Nam vas unam aut alteram hujus ignis concentrati libram continens viginti quatuor horas calorem conservat, adeò ut casu necessitatis postulante majora & plura vasa iter facientes penes se habere possint, & hujus ignis penuria non laborent; quibus si aqua in magno frigore decesset, propriâ suâ urinâ

eundem ignem excitando vas calefacent. Quam  
vile hoc secretum etiam appareat, magnum ta-  
men in eo mysterium latet, verae Philosophiæ in-  
serviens, in quo ignis talis est, qualem apud Mac-  
cabeos à Sacerdotibus defossum, & post centum  
aliquot annos iterum effossum & repertum esse  
legimus. Ejusmodi enim ignis contra aëris acces-  
sum munitus per centenos imò mille annos in-  
corruptus manet, quod consideratione accurata  
profectò dignissimum est. Nitrum fixum merum  
ignem esse, & se, quandocumque quis velit, mani-  
festare hisce satis aperte demonstravimus. Idem  
facit liquor acidus longè aliam à Nitro fixo na-  
turam, & proprietatem habens, qui nihilominus  
etiam suum ignem occultum pro artificis lubitu  
in apertum producit, quod hoc modo fiet. Fer-  
rum aut lapidem calaminarem eodem solve, &  
humiditatem igne abstrahe. NB. nil nisi aqua  
dulcis omni sapore carens evaporando abibit, &  
igne pars in ferro aut lapide calaminari se con-  
centrabit, & ignea atque sicca terra evadet, quæ  
contrà aëris ingressum munita sicca manebit, nec  
se in aquam mutabit. Hic in terrâ hâc concen-  
tratus spiritus igneus tam fervidus est, ut, magni-  
tudine grano cannabis respondens si linguae ad-  
moveatur, haud aliter eam urat, ac si ferrum  
candens admotum fuisset. Ex quo si ignem eli-  
cere volucris, vini spiritum infundens, flammarum  
erumpentem videbis. Sin verò ejusdem calorē  
te calefacere desideraveris, ut modo de Nitro fixo  
diximus,

diximus, aliquot aquæ guttas instillabls; quo facto occultus & concentratus ignis, sicut in Nitro fixo, in apertum prodibit, & diu durabit. Si aquæ non nimis affusum fuerit. Si volueris, ut ignis extinguatur, & vas refrigerescat, hoc claudes, & iterum aperies ac aquæ parum affundes, si volueris, ut denuo incalescat. Ignem itaque hunc ad inserviendum tibi promptissimum habebis, quan- docunque eodem uti in animum induxeris. Porrò hæc omnia, Spiritum Nitri acidum ignem frigidum, & occultum esse, firmissimè stabiliunt. Ferri, aut lapidis calaminaris frustulo eidem imposito, vitrum adeò calidum reddetur, ut in manu retineri non queat. Ex hac origine thermas ortum capere discimus, quæ sic oriuntur. Quando spiritus mineralis acidus aquæ alicujus dulcis saturigini in montibus se jungit, & cum illa lapidis calaminaris aut ferri fodinas permeat, adeò effervescit, ut instar aquæ in aheno servefactæ prorumpat. Nec ullibi etiam thermæ reperiuntur, nisi in montibus, & locis lapide calaminari aut ferri venis abundantibus, ut in multis locis, præsertim verò Aquisgrani videre est, ubi pulcherri- mæ totius Europæ thermæ inveniuntur, & mon- tes circumiacentes ferro & lapide calaminari af- fluunt. Quæ verò alia pulchra & utilia secreta in hoc igne concentrato recondita lateant, ut porrò indicemus, hujus loci non est. Satis multa reve- lavimus, ex quibus qui nihil addiscet, nihil habebit, nec ipsis à Deo datum est, ut imperscrutabiles

ignis proprietates sciat, & veræ Philosophiæ, ac Hermeticæ medicinæ januam aperiat. Hic artis filius videt, quid ignis concentratus efficere possit, & quomodo vires ejus multæ adhuc terræ, ex ferro, lapide calaminari, & antimonio constanti inclusæ impediantur, quominus effectum spectatum producant. Impurum enim corpus etiam animam puram sibi inhabitantem ignibilem & impuram reddere imò planè occidere potest, quod de hominibus pariter ac de mineralibus intelligatur oportet. Quid autem ejusmodi anima pura, & ab omnibus fecibus segregata præstare valeat, facili conjectura providebitur. Incredibilia profecto & pene divina ejusmodi igne efficerentur. Terrestris ligni & carbonum ignis, si concentratur, admiranda effectui dabit. Quid vero Solis concentratus ignis illo millies purior præstaret? Post Dcū est Sol, post Solem carbonum & lignorum Ignis, omnium in toto mundo rerum res nobilissima. Si mihi per rudes & imperitos meam de Igne sententiam aperte cloqui liceret & fas esset, plures angulos obscuros illuminarem. Nam Sol Elementaris, qui omne lumen, & vitam omnem toti mundo impertit, aliud nihil est nisi Omnipotentis Dei vestis & aulæum. Si jam vestis & aulæum tam augustum, tam efficax, tam potens est in essentiâ suâ, quanta ergo est, & erit Majestas Dei æterni illius Luminis, & omnium Luminum centri? Illæsis oculis vestem illam, Solem puta, aspicere, ejusq; vires & proprietates

tates admirandas omnibus nostris speculationibus, & Philosophationibus, ut ita dicam, perscrutari non possumus. Cur stulti de Deo tam leviter loqui & sentire conantur, qui tamen nihil de eo sciunt nec ipsum norunt? Hinc ferè unusquisque sibi proprium Deum fingit, cumque colit & adorat, quam horrendam impietatem Unicus & Verus Deus abominatur. Physici veteres sphæram igneam rotundam à Deo ortum ducentem Soli attribuerunt, & eundem signo perfectionis circulo nimirum in medio punctum, quo centrum signatur, depinxerunt. Cum autem centrum in omnibus rebus ipsâ circumferentia ex centro ortum ducente longè nobilius & præstantius existat, ipsa verò circumferentia eò magis à centro differat, & eidem inæqualior sit, quò longius ab eo recedit; ac è contrario eidem tanto æqualior judicetur, quo propius ad id accedit, quid punctum in sole erit, quandoquidem Sol ipse, tanquam puncti circumferentia, tam nobilissima & præstantissima est essentia? Quo nomine illud punctum appellabimus? Cui hoc per mundi perversitatem facere licet? Invitus dissertatione superedere, eamq; in meum de terræ & cœli concentratione tractatum ejicere cogor. Hoc autem tantum dico, terrestrem nostrum ignem, quo quotidiè utimur primum esse gradum scalæ illius per quam ad Deum ascendimus, ut ejus omnipotentiam comprehendamus, sentiamus, perscrutemur, amemus, timeamus, colamus, ac tandem

dem videamus, & divinæ ejus Majestatis aliquando ex gratiâ participes reddamur. Siquidem igitur vulgaris, & omnibus hominibus notus ille ignis, ut semel adhuc dicam, primus in illa scala gradus est, per quam ad Deum & ejus mysteria ascenditur, & tamen ejus proprietas nobis adeo incognita est, quid quæso de secundo & tertio gradu statuendum erit, de quibus nihil scimus, quamvis nos tam multa scire opinemur. Nostrum igitur scire nihil esse, & ex multis millibus non unius alterum gradum, ut de tertio non loquar, notum esse audacter hîc affirmo; alibi verò postea plura dicam & demonstrabo.

*Cordiale & Confortativum in magnis & diuturnis ægritudinibus adhibendum.*

℞. Florum majoranæ, salviæ, roris marini, macis ana ȝ ij. Nucis muscatæ, cardamomi, zedoariæ, galangæ, ana ȝ j. Cinamomi electi ȝ viij. Extrahe per spiritum vini tincturam. Porrò solve in Spiritu Salis rectificati, qui nitro acutior redditus est, ȝ j. auri, quam solutionem spiritui vini dictorum simplicium tincturâ imprægnato infundes, & retortæ vitreæ immissam Balneo sicco distillandam impones. Primò Spiritus Vini aromatisatus non modo suavis, sed etiam clarus exhibet, qui ubi albus & turbidus exire inceperit, vitro, quo spiritum ex euntem exceperisti remoto aliud appone, & omnem humiditatem calore

leni

leni elice, donec nullus vini spiritus amplius exi-  
verit, & aqua acida ingrati saporis sequuta fuerit.  
Remove tunc omnem retortæ suppositum ignem, ut refrigerescat. In quâ, ubi refixerit, exem-  
ptâ solutioni innatans invenies oleum aroma-  
tum instar sanguinis rubrum, & tinctura auri im-  
prægnatum, quod per tritorium à Spiritu Salis  
separatum Spiritui vini aromatisato, qui primus  
exivit, adjunges, qui oleum dictum mox reci-  
piet, & rubore pulcherrimo tingetur. Residuum  
aurum, quod oleum aromatum non attraxit, Ni-  
tro fixo in teneram & splendidam calcem præci-  
pitabis, aqua probè elues, & spiritui ac oleo aro-  
matisato addes, cum sufficiente Sacchari candi  
parte, ut Spiritus suavis ac jucundus reddatur.  
Habebis Aquam Vitæ efficacissimam quæ in om-  
nibus debilitatibus ægrum mire roborabit, & re-  
ficiet. Sed hæc præcipitatio non debet fieri, ut  
vulgaris illa, in qua pulveres metallicam formam  
amittunt, ut aurum, quod in flavum pulverem  
mutatum aurum fulminans appellatur, & laminæ  
impositum, ac calefactum instar sclopeti alicujus  
fragorem edit: fragor admodum sonorus est, ac  
ictus deorsum tendit, adeò ut pisí parvi magnitu-  
dine in argenteo cochleari incensus fossulam ef-  
ficiat. Sed aurum ita præcipitari debet, ut metalli-  
cam quidem formam retineat, sed ita tenerū red-  
datur, ut etiam in oculis tolerari queat. Non au-  
tem omne aurum sed nobilissimum tantum & quasi  
anima ejus colore multò pulchrior & sublimior,

quām aurum vulgare, præcipitanda est. Vilior pars autem peculiari præcipitatione separanda, & fusione reducenda est. Huic pallidæ per antimonium prior color reddendus, ita ut nulla jaetura fiat. Si prior pars præcipitata vulgari auro puro melior est, posterior per præcipitationem & fusionem reducta necessario vilior esse debet: vel si posterior auro vulgari puro vilior fuerit, prior eodem melior erit: Ideo & in medicina commodo majore adhibebitur, utpote quod in stomacho digestum, & consumptum vires suas exercabit, quod vulgare aurum limatum, aut in folia tundendo redactum non faciet. Cujus rei de industria periculum feci, &, quæ dixi, vera comperi. Si cui tamen res adhuc dubia videri posset, primum aurum præcipitatum, tanquam meliorem ejusdem partem, quam spiritui aromatisato adjungere jussit, addito borrace fundere & cum posteriore præcipitato conferre poterit; in qua collatione *dis s̄ḡ m̄στ̄v* utrumque distare animadvertis. Prius colore optimum ducatorum aut rosarum nobilium aurum longè superabit, posterius autem longè vilius erit. Illud denuo solutum & more philosophico præcipitatum, ut dimidia pars prior iterum subsideat, longe nobilis evadit, ac iterum auri pallidi particulam relinquit. Quæ profectò meditatione dignissima est operatio, cuius adminiculo certè aurum tandem ita forsitan concentrari posset, ut ad summam nobilitatem, colorem, efficaciam, & virtutem reductum

ductum aliis metallis colorem conciliaturum,  
& ea emendaturum esset. Quod hactenus tem-  
poris defectu nondum expertus sum ; sed , Deo  
dante , me artis studiosis tale aurum propediem  
monstraturum spero , eâ de causa illud tantum  
quærens , ut medicamentum optimum ex eo fa-  
cere queam. De hac artificiosa , & Philosophicâ  
auri,& argenti in bona medicamenta concentra-  
tione in quarta de Prosperitate Patriæ parte pla-  
nius& plenius agam. Hic autem,ut aliquod saltem  
artis amatoribus indicium faciam,quo pacto talis  
præcipitatio effectui detur , hæc pauca habeant.  
Præcipitatio tam siccâ quam madidâ viâ fieri po-  
test. Hic autem madida via adhibetur,quæ in me-  
dicamento hoc faciendo quidem requiritur , sed  
tamen molesta,& periculosa est, cum quandoque  
vitra rumpantur, & aurū in cineres erumpat Sic-  
ca autem via omnis periculi vacua , non huc, sed  
ad quartam de Patriæ Prosperitate partem perti-  
net. Ejus tantum hic mentio fit, ut videatur , &  
animadvertisatur , & in auro ipso aliquam sepa-  
rationem,ut in minoribus metallis, possibilem esse.  
Nam qui artis beneficio in metallo aliquo sepa-  
rationem partis melioris à deteriore instituere &  
efficere novit , is metalli emendationem utilem  
habet. In secundâ parte de Prosperitate Patriæ  
volatilia & immatura mineralia , quo pacto per  
nitrum in malleum patientia metalla redigantur,  
docemus : In tertia parte communia & imperfe-  
cta metalla in perfectum aurum & argentum

mutandi modum ostendimus. In quarta tandem parte monstramus, qua ratione aurum & argentum in plusquam perfecta corpora ad medicinam pertinentia traducantur, de qua separatione in proximè sequentibus plura dicentur. Nec est cur aliquis hic in dubium veniat, & me mihi contradicere putet, cum in medicamento præcedente auro præcipitato & tenero utar, & contrà aliis in locis apertè fassus sim, quod aurum corporale à stomacho concoqui, & digeri nequeat. quod fæpissimè etiam expertus sum. Nam aurū, quod hīc præcipitare docuimus, multo melius, & nobilius est auro vulgari, ac eā de causâ pro corporali non habendum, sed pro ipso nucleo, & quasi animâ ejus, quæ in humano stomacho digesta vires suas in apertum producit. NB. Dicta Aqua vitæ aurea usurus, vitrum, quo continetur, prius parum concutiendo movebis, ut subtilissimi atomi auri cum Aqua Vitæ se commisceant. Postea guttulæ aliquot pro ratione personæ & morbi a gro in commodis vehiculis exhauriendæ propinentur. Si unâ aut alterâ guttula periculum feceris, insignes ejus cor roborantes vires, & commodissimum ejus in omnibus debilitatibus usum experieris.

*Aliud Medicamentum Metallicum ex plumbi vena argentum continente Nitri beneficio paratum,  
& in omnibus cerebri ægritudinibus utilissimum.*

Bz. Venam plumbi multum argenti continens,

tis sine cupro, aut ferro, quæ quò plus argenti habebit, cò melior, & ad hunc laborem commodior erit. Ab hâc venâ omnem Sulphureitatem, vel Sulphureum fœtorem per Nitrum secundum artem spagyricam separa, ita ut tantum purissima, albissima, & maximè fluida ac volatilis Mercurialis pars maneat. Nitrum eluendo, quanta cura poteris, separa, ut tibi gravis splendidus, & niveo colore præditus pulvis supersit: Hic maximè fluidus & volatilis est Mercurius Saturni, cuius 1. 2. 3. 4. 5. usque ad 12. grana in commodis vehiculis exhibita in omnibus cerebri affectibus, gravibus, peste, & doloribus infantum vermibus laborantium admodum præsenti auxilio vires suas excent, omnem internum calorem extinguunt, in cerebrum ascendentia vapores graves compescunt, omnes licetis obstruktiones rese-rant, Melancholicos exhilarant, Lunatica, stulta, & phantastica ingenia restituunt, præcipue si corpora prius per Panaceam meam Antimonialem præparata fuerint. Imò melius adhuc medicamentum hoc Cephalicum operabitur, si post primam præparationem per Nitrum denuò lavetur, & subtilius reddatur, imò planè figatur, ut majori efficacia vires ac potestate suam exerceat. Tandem efficacissimum redditur, si hic ♀ Saturni ultimâ operatione per retortam expulsus in dulce lac convertatur, veritatem demonstrans dicti philosophici. Ignis & Azoth abluunt Latonem. Nitrum est verum Azoth Philosophorum, & præter hoc

hoc nullum aliud reperire potest: Sapo est Sa-  
pientum, & Balneum metallorum universale. Lac-  
dictum dulce in pellucidum, & fluidum lapidem  
coagulari & figi potest: qui ♀ vulgarem purga-  
tum iterum coagulat & figit. Ut verò in Cupel-  
la, ut vocant, examinatori Saturno satis faciat, ha-  
etenus non effeci; sub manibus tamen opus habeo  
& me effecturum spero. Quamdiu autem lapis  
dictus adhuc volatilis est, imperfecta metalla, ut  
♂ & ♀ penetrat, & ipsis facilem fluxum & vola-  
tilitatem conciliat: quid jam facturus sit, si ad fixi-  
tatem reductus fuerit, conjectura facili quis pro-  
videre potest. Forsan opus hoc à Parvi Rustici o-  
pere parum abludet. Quoniam à materiâ hâc haud  
aliena est purificatio, ea quid sit, & quâ in re con-  
sistat, ut paucis doceamus, operæ precium censemus.  
Præcipue verò cum omnia scripta unicum  
hunc scopum præpositum habeant, puri nempè  
ab impuro separationem, à qua huic libello no-  
men imposuimus: paucis verò separationum ta-  
lium ratio & modus innotuerit. Quâ de causâ de-  
câ maxime necessariâ hîc aliquid indicare consul-  
tum etiam duximus. Omnes enim Philosophi  
unâ voce clamant. Fac fixum volatile, & volatile  
fixum. Res dura & fixa terram suam deponendo  
fluida & volatilis evadit; & hæc prima ac philo-  
sophica est separatio & operatio. Eam sequuntur  
sublimatio & distillatio, quibus res à crassis feci-  
bus jam se juncta iterum pura redditur. Nam quo  
sæpius res aliqua distillatur, aut sublimatur, eò  
purius

purior evadit; & quanto purior est, tanto efficacior, & penetrantior etiam reperietur. Si jam purissima rei pars iterum eò deducatur, ut ignis viribus violentissimis, & omnia consumentibus resistat, unicuique, conjectura ut assèquatur, in proclivi erit, quidnam operationibus talibus consequi queat. Hæc dicta Metallicam, & artis Spagyrice beneficio effectam purificationem indicant. Animalium, Vegetabilium & Mineralium ablutione est triplex; Prima aquæ adjumento impuritates adhærentes, arenam puta, pulverem, & terram abluit. Altera distillando tenues & aquosas partes à terrestribus se movet: Quod idem in Metallorum separatione Sublimatio præstare solet, ut notum est. Tertia Separatio igne peragitur, quando videlicet subiectum purificandum igne totum incandescit, ut Sulphur combustibile inflammatum consumatur, Mercurius cum fumo abeat, & fixa tantum terra cum sale suo reliqua maneat, quod de Animalibus & Vegetabilibus intelligatur oportet. Cum Metallis aliter comparatum est, quorum principia tria tam arcto & radicali vinculo Natura conjunxit in materiam adeò homogeneam, & duram, ut ægrè separationem admittentia aut sensim & pedetentim per cohobia simul ascendant, aut una in fundo constanter permaneant. Ac licet nigrum aliquod metallum aut in flores albos per sublimationem elevetur, aut calcinando in cineres albos redigatur, post reductionem tamen prius metallum eadem formâ &

iisdem

iisdem proprietatibus præditum invenietur, quas ante calcinationem habuit, adeo ut hæ operatio-nes nequaquam Philosophicæ purgationes, dici mereantur. Quot se ipsos decipientes putarunt, si Martem in rubrum crocum mutarent, eodem se Lunam fixam reddituros, & non animadverte-runt, quod ille crocus per reductionem ad suam pristinam naturam, & formam ferream reverta-tur. ¶ Vulgi in pulcherrimum & ruberrimum pulverem præcipitatur, per reductionem ad pri-stinam suam naturam currentem redeuntem. ¶ sale communi calcinatus fit ruber pulvis, aut mi-nium, qui reductus idem nigrum est plumbum, quod ante reductionem fuit. Hinc, qui huic labo-ri operam impendit, meritò lavare Æthiopem di-citur. Idem Saturnus aceto aut alio aliquo liquo-re corrosivo lotus albam quidem cerussam da-bat, sed alienum colorem mutuatur, & nigrum suum corpus albo indusio tegit, quo nihilominus à Vulcano confestim nudatur. Hanc Philosophi Veri purificationem Sophisticam nihil faciunt. Siquidem igitur ¶ nigrum & leprosum aurum esse judicatur ab omnibus Philosophis, qui aper-te dicunt, quod in ¶ sit, quod Philosophi quæ-runt, Paracelsi legatur libellus, cui titulus Vexa-tio Alchymistarum, in quo plura tradit. Nec sine ratione vetus illud Symbolum à Chymicis usur-patur; Ignis & Azoth abluunt Latonem. Azoth nitrum, & Laton lapidis materiam significat. Quidam vocem Laton ¶ attribuere nolunt, quâ

an vulgaris , an verò alias ḥ intelligatur, in me-  
dio jam relinquimus. Hoc tamen hic observan-  
dum , quod vox Laton materiam lapidis per A-  
zoth sive acetum Philosophorum, id est Nitrum  
abluendam significet. Evidem præter vulga-  
rem Saturnum , & antimonium vulgare , alium  
qui facilius Nitro abluitur, adhuc esse, probè no-  
vi. Sed quia h̄c de vulgari Saturno , vel primo  
Ente Lunæ per Nitrum in bonum medicamen-  
tum redigendo agitur, iis, quæ dicta sunt, acqui-  
escimus, ac planiorem materiæ dictæ explicatio-  
nem in alium locum rejicimus. Iis, quæ in hac  
Philosophica dissertatione indicavi , super sedere  
quidem potuisse, cum probè mihi constet , me  
apud ignorantie fratres oleum & operam perde-  
re, & in Farneriani istius sodalitii profligati odium  
incurrere. Sed hæc omnia nihili facio , & instar  
heroici equi talium canum inutilium latratus  
fusque deque habeo. Si honesti homines sunt, in  
lucem prodeant, & meliora , si habent, promant,  
ac libellos contumeliosos, convitiisque plenos  
scribendo supersedeant. Si nihil habent, quod in  
medium proferant, fas quoque est, ut illa non  
contemnant, quæ captum ipsorum superant. Pro  
contumeliosis mendacibus , & falsis suis scriptis  
responsione propediem satisfaciant oportet: Si  
ulla justitiae ratio habebitur. Nam si ejusmodi  
scelera invalescerent, & tam horrendæ , in huma-  
næ ac perfidæ honorum læsiones, immeritæ vitu-  
perationes , incredibilia perjuria , inaudita men-  
dacia,

dacia, læsio boni nominis, existimationis ac famæ, & compilatio bonorum ejus, qui optimè de tam profligato nebulone meritus est, jactura preciosi & irrecuperabilis temporis, quod mendacis & libellis famosis confutandis impendendum fuit, ut & homicidium de industria commissum impunita dimitterentur, ac hoc pacto facinorosi audacie, & magis temerarii redderentur, ac posteà sine ulla formidine in alios scelera impunita exerce-rent, profectò signum esset, quod Deus talem locum, in quo Diabolici ejusmodi nebulones latro-cinia sua exercent, justitia sua spoliatum planè re-licturus, ac paucis bonis abductis & remotis, instar Sodomæ, & Gomorræ Diabolicas reliquias pessundaturus esset. Propediem manifesta erunt, quæ jam diu ab hominibus providis prædictæ sunt. Sed per nos pergent licet, quoniam omni fide & resipiscientia destituti sunt. Ignis horren-dus subitò ipsos opprimet, ac in desperata sua malitia in extremam perniciem præcipitabit. Interè Deum spero iis oculos aperturum, qui tan-ta mala præveniendo extinguere possunt.

### *Medicamentum Uterinum probatum.*

**Q**uoniam hactenus aliquot Medicamenta admodum efficacia Nitri adjumento para-da docui, & tamen interea ægritudinum sexui fœminino familiarium mentionem nullam feci, æquum omnino esse duxi, ut infirmo & imbecilli huic

huic sexui qui humano generi propagando destinatus est, singulari aliquo medicamento succurrerem. Nam fœminæ præter morbos istos, quibus juxta cum virili sexu obnoxiae sunt, adhuc aliis pluribus affliguntur ægritudinibus ex matrice originem capientibus, quibus tam virgines, quam nuptæ, & quidem hæ non solum antè, sed præcipue etiam post partum diyexari solent: quando videlicet matrix à partu non satis expurgata est, & varias ægritudines, dolores, ventos, inflationes, suffocationes, vaporum malignorum ad cor ascensus parit; aut menstrua obstructa, ventrem tumidum, vires debiles, & imbecilles, cordis & cerebri angustias, dolores vehementissimos, ac sæpiissime mortem ipsam causantur; aut matrix in partu ex loco suo dimovetur, vincula rumpuntur, ipsa vero matrix nimiis humiditatibus adeò repletur, & debilitatur, ut tantum potestatis non suppetat, ut in suum debitum locum reponi, aut firma retineri, & alligari queat, & mulieres magno suo damno eam pendulam relinquere cogantur, & magno hoc malo vehementer crucientur, dum matrix vehementer eundo se moventibus, aut aliis motibus agitatis ex corpore prolabitur, & propendet, & ipsæ eam in corpore retinendi causâ pilam in eum finem paratam maximâ molestia semper secum ferre debent. Ut his memoratis & aliis similibus incommodis resistant, & inprimis quando iis jam obrutæ sunt, modum & rationem præscribam, Quantum ad

matricem, ejusque morbos attinet, qui post partum oriuntur, si videlicet matrix non rectè expurgata fuerit, ipsæ mulieres sua remedia norunt, ejusque rei causâ herbas ejusmodi usi inservientes aut in hortis suis serunt, aut debito tempore easdem colligunt, & collectas custodiunt, donec iis opus habent, ut reliquias à partu expellant: tales sunt pulegium, matricaria, artemisia, savina, & similares herbæ vires expellendi validas possidentes, ut & aquæ in Pharmacopoliis hac de causa distillatæ, de quibus, ut hic multa scribantur, opus non est, nisi hoc consulere vellemus, ut tales herbæ & species, quæ in ejusmodi affectionibus in usum veniunt, prius per puri ab impuro separationem subtiliores reddantur, & posteà celerius & melius operari queant: quod quām commodissimè fieri modo & ratione quam de herbarum Essentiis in prima hujus Pharmacopææ Spagyricæ parte docui, & præscripsi. Matricis autem & mensium obstruktiones nudis medicamentis ita nudè assumptis, quæ eò usque viribus suis non penetrant, non ita facile reserantur, sed potius, ut experientia docet, iis medicamentis longè facilius, quæ inferne applicantur, & quorum jam in secunda parte Furnorum apud Spiritum Urinæ mentionem feci, ubi peculiare instrumentum, quo medicamenta matrici necessaria inseruntur, manifestavi: Eo haec tenus felices curationes plures peregi. Verum quoniam ad morbos tales longè aptius post illud inveni, idem in foeminarum maritis suis sequium

sequium debitum præstantium, & conjugium cas-  
tè conservantium gratiam, solatum & auxilium,  
parandum, & applicandum probè describam. Ex  
argento bono, non autem cupro, rotunda, & in  
anteriori parte clausa cannula longitudine viri  
digitum aliquantulum excedens, & eidem cras-  
sitie respondens ab aurifabro paranda est, & item  
alia aliquanto laxior, ut priorem includere queat,  
& tres habeat lineolas in longitudinem promi-  
nentes, & prohibentes, quo minus interior can-  
nula exteriorem attingat, sed interstitium tergo  
cultri crassitie respondens inter utramque ma-  
neat. In posteriori parte operculum fiat, quod  
post medicinam immissam instrumentum clau-  
dere possit, ne spiritualis medicamenti virtus re-  
trò ex corpore elabatur, sed per instrumentum  
foraminibus plenum in matricem operationem  
suam peragere queat. Posteriori parti hujus instru-  
menti filum annexatur, quo operatione peracta  
illud retrahendum erit. Prout igitur morbus com-  
paratus fuerit, pro eo etiam medicamentum ad-  
modum spirituale applicandum erit, ita nempe  
ut eodem spongiola imbibatur, & interior can-  
nula repleatur, ut ita repleta matrici applicetur.  
Si menstrua obstructa sint; probatissimum est  
remedium Spiritus Urinæ concentratus, qui sub-  
tili, penetrante, calefaciente, leniente, & aperien-  
te virtute matricis venulas aperit, & menstruo  
obstructo exitum parat. Sed si matrix hoc non  
laboret morbo, sed tantum frigidis & tenacibus

humoribus obsideatur, calidum, & penetrans oleum Laterinum, vel ceræ subtilissimè rectificatum, adhibetur, quod spongiolæ inunctum per instrumentum in matricem frigidam & aquosam immittendum, quæ eodem calefiet, siccabitur, & nimia humiditate liberabitur. Si verò matrix loco mota fuerit, aut vincula rupta, vel nimis laxa, aut quocunque alio modo affecta matricem retinere non possint, ut extra corpus prolabatur, astringentibus utendum, quæ vincula nimis laxa, & exeuntia constringent, sanabunt, & matricem debito suo loco alligabunt, & firmabunt. Talia sunt olea distillata ex crinibus & capillis hominum, ex ovium & similiam animalium lana, ex hircorum & caprarum cornibus, ex ferarum ungulis, avium rapacium & ferarum plumis, & similibus rebus, quæ prunis impositæ se contrahunt, & se contrahendo nobis quasi usum suum monstrant. Quo pacto autem hæc olea distillanda, & rectificanda sint, in secunda Furnorum parte jam docuimus, ut eadem hic repetere plane necessarium non sit. Verè dico, si hæc tria medicamentorum genera in istis triplicibus matris affectibus ritè adhiberentur, & applicarentur quod mirabilia præstari, & multæ matres piæ diutius apud liberos suos conservari incolumes possent: si scilicet ejusmodi auxilio ipsis succurseretur. Fieri enim non potest, ut ægræ & lœsæ matrici per potionēs ebibitas, aut hysterica medicamenta aquosa syphone injecta multum auxi-

lii feratur. Nam medicamenta ore hausta viribus suis ad matricem penetrare non possunt, ut auxiliū ferendo eam referent, purgent, & calefaciant, aut vincula soluta & laxata sanent. Sed aquæ vel decocta inferius adhibita, & injecta mox relabuntur, & matrici parum aut nihil adjumenti conferunt: Hæc autem mea olea & spiritus instrumenti opera commodè applicantur, & efficacissimè suo officio funguntur. Unum tamen necessarium est, quod h̄ic moneamus, nemp̄, ut ii, qui Spiritu urinæ, oleo Lacerino, vel cerae, aut oleis ex cornibus, capillis, aut plumis dicta matricis via curandi causa uti cupiunt, ii ipsi eadem parent, aut iis paranda committant, qui distillandi artis periti tales spiritus & olea ad summam subtilitatem rectificando deducere norunt. Nam si in Pharmacopolio aliquo sibi comparare quis vellet eadem, quæ nescit, quo pacto parata sint, an forsan jam corrupta huic usui omnino inserviant, an non inserviant, vehementer decipi posset. Non sufficit, si quid in usum adhibendum sit, ut solum nomen habeat & viribus ipsis careat, nec aliquid effectui dare possit: cum dictæ matricis ægritudines non corporalibus, sed spiritualibus & efficacibus medicamentis curandæ h̄ic doceantur. Necessariò igitur requiritur, ut medicamenta, quæ diximus, olea nimirum & spiritus isti optimè parata sint, & solius odoris & invisibilis virtutis emissione, & ejctione vires suas exerceant. Spiritus urinæ adeò volatilis, & adeo subtilis esse debet,

bet, ut ex aperto vitro evanescat, ac ideo magis in ejus custodia & conservatione diligentia opus sit, ut in vitris probè clausus retineatur, & ipso evanescente mortua tantum, & omnibus viribus carens, & inutilis aqua remaneat. Ideo peculiaria vitra quæ tales spiritus non dimittunt, conficeret docui, quorum imago in secunda meorum Furnorum Chymicorum parte, in loco, ubi de Spiritu Urinæ agitur, depicta est. Pariratione dicta olea probè rectificanda, & admodum volatilia reddenda sunt, ita ut calido aëri exposita paucis horis evanescant, quod si non fecerint, nihil etiam omnino efficient. Evidem aperte fateri debeo, me toto illo, quo vixi, tempore nunquam bonum Urinæ spiritum, nec bene rectificatum ceræ oleum aut laterinum reperisse, ut de spiritibus ex capillis, cornibus, & plumis aut pennis nihil dicam. Nudum, viribus carens, & falsum phlegma quidem apud plures inveni, sed spiritum ipsum Urinæ verum non offendit. Olea laterinum & ceræ in omnibus quidem Pharmacopoliis inveniuntur, sed maximam partem longo situ corrupta & inveterata, crassa, rubra, tenacia, odore suo debito privata, fœtida & omnibus viribus suis spoliata. Raro enim talia olea rectificantur, sed talia venduntur, qualia prima viæ ex retorta exeunt, cum salsa quadam acrimonia adjuncta, quæ in rectificatione demum in fundo remanet, & ab oleo separatur. Talia olea nullius sunt precii, & ad hanc curationem non pertinent, nihil quippe effectura.

fectura, quod hic ut monerem, intermittere non potui. Nam quando æger forsan in hoc meo libello legit, quod talia olea ad dicta matricis vitia pellenda maximè conducant, nec tamen aliquid solatii, & auxilii eodem usus percipit, proculdubio mihi, perinde ac si veritatem non scripsisset, & non oleis male paratis, culpam imputabit. Hoc igitur prædico, si olea bona non fuerint, etiam effectum speratum neutquam consequuturum esse. Unde suum oleum bonum aut malum fuisse æger sciet? Mercator seu venditor, illud vetus, male paratum, & odore privatum esse non fatebitur. Ita in authorem sæpè culpa transfertur, ut inutilia, & veritati non consentanea scripsisse arguatur. Sed incommodi culpa in neminem alium cadit, quam in Magistratus, qui ad talia connivendo eadem permittunt. Quando igitur unusquisque iis instructus esse debet, quæ in Pharmacopolio aliquo requiruntur, & interea tamen paucas merces vendit, cæteræ omnes sitù consenserunt & corruptuntur, ac si nonnunquam totius anni spacio unum aut alterum simplex aut medicamentum semel aut bis queratur, tradit ea, quæ habet, quæ si ægro opem non ferunt, Pharmacopolæ tamen crumenam juvant. Sed injustum est, & amori seu dilectioni proximo debitæ contrarium, quo conscientia gravatur. Æger auxilio fretus in medicina exhibita solatii sui spem ponit, quæ si bona non fuerit, morbo invalescente ægro moriendum est, cum tamen vivere pos-

euisset, si bona & utilia medicamenta, inutilium,  
& malorum loco usurpasset. Videat ergo ille, qui  
talium factorum culpam fert, quo pacto tandem  
Deo villicationis suæ rationem redditurus sit.  
Quæ dixi, jam repeto, & adhuc firmiter assero,  
commemoratum Urinæ Spiritum, ut & Olea la-  
terinum & ceræ, cæteraque capillorum, cornuum  
& pennarum olea, & spiritus efficacissimos esse  
in pellendis affectibus matricis, quodcunq; etiam  
nomen habeant, & apud natu minores æquè atq;  
apud adultiores & natu majore fœminas summa-  
cum admiratione ad usum adhiberi. Quare æ-  
quum & justum esset, ut in omnibus Pharmacopæ-  
poliis invenirentur, & in promptu cuncta debito  
modo parata essent. Nam non modò in morbis  
uterum afflgentibus, sed etiam in multis aliis  
morbis & affectibus corporis bene & ritè præpa-  
rata, ac interius & exterius debitè administrata  
miraculosè operantur, & incredibilia præstant,  
de quibus in secundâ Furnorum parte prolixius,  
quo pacto præparanda, & usurpanda sint, actum  
est, ut hic nulla repetitione egeant. Quisvis in-  
tellectu præditus facile conjicit, mortuo corpo-  
re, & cadavere exanimi spiritum vivum longè ef-  
ficaciorem esse, quod nulla probatione indiget.  
Quoniam igitur hic auditum est, quod tam gra-  
ves, & fecrè ab unoquoque incurabiles æstimati  
mordi Matricis, quibus tot fœminæ omni auxilio  
destitutæ abripiuntur, sola subtilium spirituum  
applicatione curandi sint, & illorum præparatio  
tam

tam paucis innotuerit, in debilis sexus Fœminini gratiam meliorem & efficaciorum medicinam, docebo: & simul etiam exemplo probabo, quod omnes spiritus subtile斯 Spagyricæ artis operâ concentrari, & viribus suis augeri possit, ac unus spiritus alterum concentrandi potestatem & facultatem habeat. Et quoniam hic tractatus & omnia in ipso medicamenta proposita eò tantum spectant, ut admirandæ Nitri virtutes detectantur; ac præterea monstratum est, quomodo omnia dicta medicamenta ejusdem adjumento parari debeant; idem & in hujus medicamenti enarratione, & demonstratione fiet. In secunda Furorum parte spiritum Urinæ & salis Armoniaci Tartari calcinati additione parare docui: Sed tamen jam concentrata urina, sive Sal armoniacus cum duplo pondere Nitri Fixi misceri, & distillari poterit: Sic enim spiritus illi fortiores & efficaciores evadunt, quam si Tartarus ipsis addatur. Et si oleum laterinum vel ceræ additione terræ, quæ per candefactionem oleum aut ceram imbibit, distillatum est, adhuc semel per concentratum spiritum ex Nitro distillari, & ad summam subtilitatem adduci potest: quod sequenti modo faciendum. In una libra Spiritus Nitri solve 4 uncias lapidis Calaminaris; Solutione in vitreâ phialâ Balneo vaporoso vel sicco impone, ut phlegma sensim evaporando abeat. (Nam lapis calaminaris omnes spiritus secum retinet, & phlegma abire patitur) & Spiritus Nitri crasso

oleo similis in phialâ maneat. Hujus Spiritus Nitri concentrati  $\frac{1}{2}$ . partem unam, & dimidiam partem Olei Laterini, vel ceræ; Utramque retorta vitreæ luto probè munitæ infunde, ac per arenam distillando à spiritu concentrato in magnum vas recipiens (nam hoc oleum spacio loco recipiendum est) expelle, qua operatione longè penetrantius fit, quam anteà fuit. Nam spiritus Nitri concentratione per lapidem Calaminarem omni suo phlegmate orbatus, cum magis attrahens evaserit, & nihil aliud, quod attrahere possit, inveniat, occultam in oleo humiditatem omnem quæ priori distillatione separati nequivit, sibi associat, & hoc modo efficit, ut oleum necessario subtilius & efficacius evadat, imò tamen penetrans fiat, ut admiranda, præcipue in Matricis affectibus, præster, quibus non nisi Spiritus admodum subtile mederi possunt, quod præter omnia cætera in mundo medicamenta concentrati isti spiritus longè certius & securius efficere solent. Eodem planè modo cæterorum oleorum concentratio & purificatio peragenda, & effectu danda est. Ne autem alicui scrupulus moveri possit, quoniam pacto aqua oleo aut ceræ omnem humiditatem respuentibus misceatur, cuius hic ab oleo separationem docui, ille hoc sciat velim, quod multa pinguedo, ut olea vegetabilium expressa, nunquam sine humiditate aquosa existant, licet ea invisibilis animadverti non possit. Nam ignis eam per distillationem manifestare potest,

ut ipsum oleum olivarum testatur, cuius libra una 6. vel 7. aquæ acidæ lotones per distillationem reddere solet: quod & alia olea, cera, terebinthina, resinæ, gummi, pixi, succinum, & omnes ardentes pinguedines faciunt. Imò ipse Spiritus vini ardens, aliique tales ex vegetabilibus parati nunquam penitus phlegmate suo privari possunt, nisi sibi alicui calcinato infusi rectificentur, in eo humiditatem suam relinquant, & subtiliores evadant. Notandum autem, quò siccior & magis attrahens ille sal fuerit, eò lubentius illum ex Vini spiritu humiditatem attrahere, & penes se retinere. Tali igitur rectificationi tales vegetabilium, tartarus calcinatus, & Nitrum fixum maxime inserviunt. Cæteri Sales corrosivi, ut Sal Armoniacus fixus, vitriolum calcinatum, & similes sui proprii spiritus volatilis quam spiritus vi- ni phlegma extrahere & sibi associare magis amant. Hæc de subtilibus oleis subtilioribus redendis, ut admiranda in medicina præstent, dicta sufficiant. Postquam igitur aliquot ex maxime necessariis medicamentis, per Nitrum paranda cum modo ipsis atendi, quæ divino auxilio accedente in præcipuis morbis tam ad præservandum quam curandum tuò usurpari possunt, in hac secunda Pharmacopœa meæ Spagyricæ parte descripti: plura alia quoque his adjungere, atque ita numerum augere etiam possem. Sed quoniam ejusmodi bonorum medicamentorum haud pauca in meis hactenus editis scriptis 1. nimirum,

2.3.4. & 5. parte Furnorum, Miraculo Mundi, & Opera Minerali occurrunt, & plura adhuc in sequenti hujus Pharmacopœæ Spagyricæ parte tercia, opere Vegetabili, ut & in 2.3. & 4. parte de Prosperitate Patriæ descripta sequentur. necessarium non esse arbitror, ut hisce diutius immorer, sed tantum conclusionis loco, tanquam corollarium addam adhuc unicum ex Nitro medicamentum, quod non ex minimis erit. Quandoquidem autem hoc non commune & vulgare est, sed magna mysteria sub se complectitur consultum mihi non videtur, ut ejusdem præparationem perverso mundo ob oculos ponam. Sufficiat igitur hic indicium saltem facere, quod Nitorum vulgare oculis nostris albissimum apparet in se animam sanguineo colore rutilantem continet, quæ Vulcaniæ artis beneficio ei extorquetur. Dum enim Vulcanus antiquum illum Draconem catenis ligatum, ferreo & igneo suo malleo ad summas angustias redigit, nec tamen planè occidere potest, Neptunus auxilio ipsi veniens Basilisco clarum speculum obvertit, venenoque suo proprio repulso ipsum occidit. Qui cum primum mori incipit, & ignem evomere definit, Neptunus omni formidine deposita propius accedens cute ovilla rictui ejus admotâ ejusdem sanguinem & animam excipit, ac in salsum mare præcipitat, in quo immersa & suffocata omne venenum, & omnes fortes deponit, & in pulcherrimam & ruberrimam medicinam convertitur. Hujus animæ Nitri unica

unica guttula aquam communem, qua vitrum aliquod commune repletum est, colore aureo tingere potest. Sed qui hunc Draconis sanguinem ignis adjumento in Salamandram igni resistentem mutare posset, Is cum felice Jasone meritò comparandus maximos honores, thesauros & divitias consequeretur. Ex his omnibus cuivis tantæ artis studioso patet, quanta in Nitro mysteria recondita lateant. Quæ haec tenus descripta sunt, scintillæ tantum sunt ejusmodi mysteriorum. In quarta de Prosperitate Patriæ parte, & sequuturo hujus Pharmacopœæ Spagyricæ tertio tractatu piura, & eminentiora medicamenta metallica per Nitrum paranda describentur; idque eum in finem, ut unusquisque agnoscat, quam admirandum & excellens Subjectum sit Nitrum, quod ab antiquis maximè occultatum, & nunquam vero suo, sed plurimis ænigmaticis nominibus appellari solitum est. Hinc infinita nomina ortum suum duxerunt: Aqua sicca, aqua manus non madefaciens, Mercurius Hermaphroditus, Balneum regis, Sapo sapientum, Draco volans, Urina puerorum, Sterquilinium, Azoth, Lavacrum Latonis, Acetum acerrimum, Aqua Stygia, Mors vivorum, Vita mortuorum, Purgatorium corporum imperfectorum, Basiliscus, Serpens biceps, Venenum maximum, Venenum herbarum, Menstruum mulierum, & similia infinita, quibus verum ipsius nomen occultatum cymmeriis tenebris involverunt, quod tamen à me

jam

jam revelatur, & toti mundo ob oculos ponitur,  
ac porrò in tribus reliquis de Prosperitate Patriæ  
tractatibus, qui propediem sequentur, revelabi-  
tur, & detegetur, ut admiranda ejus potestas, &  
efficacissimæ vires quas in metallorum emenda-  
tione, & medicamentorum metallicorum præ-  
paratione exercet toti Mundo patefiant & inno-  
tescant. Non solum autem scriptis hoc demon-  
strabo, sed etiam manu, & reipla in Laboratorio  
apto omnium meorum hactenus scriptis in lu-  
cem editorum Furnorum constructionem, & u-  
sum, ac multorum excellentium medicamento-  
rum præparationem, ut & ipsius transmutationis  
metallicæ veritatem, Deo volente, propediem  
publicè ostendam. Nec tamen hoc facturus sum  
eo fine, ut proprium meum commodum promo-  
veam, sed potius id cā de causâ effectui dabo, ut  
multorum millium, qui ægritudinibus variis af-  
fliguntur, saluti & utilitati consulatur: & totus  
Mundus metallorum transmutationem per abje-  
ctum Nitrum revera possibilem esse videat, cre-  
dat, & fateatur. Quia verò in ejusmodi demon-  
stratione, si Laboratorium tantum unius anni  
spacio frequentandum, & quotidie in elaboran-  
dum, & confectiones tot medicamentorum  
monstrandæ essent, maxima variorum medica-  
mentorum copia in promptu futura à me ipso ad  
usum adhiberi non posset, nec etiam contra usui  
forent, si reposita nemini utilitatem parerent, ve-  
nalia prostatibunt, & unicuique exiguo ac vili pre-  
tio

tio vendentur, ut in suum usum, necessitate ita postulante convertere queat. Ad foc faciendum nulla nos avaritia impellit, ut nobis magnas di-vitias comparemus, sed tantum acquiramus, quod omnes necessariis materiis, carbonibus, vitris & aliis rebus sumptus necessario impendendi compensando sarciantur. Hoc igitur opere tam bono & laudabili non solum occulta Naturæ mysteria, in Dei honorem, toti Mundo patefient, sed etiam miseri ægri facile bona medicamenta consequentur, ac pristinam valetudinem recuperabunt: Imò haud pauci egeno utilissimo Nitri usu in transmutandis inferioribus metallis in meliora quietius & melius se fultentare poterunt. Ut autem totus Mundus videat, & animadvertiscat, quod non commodum aut lucrum proprium queratur, sed ex Christiana dilectione solum proximi emolumentum spectetur, in sequuturæ tertiaræ partis fine medicamenti cujusque precium adjungetur, ex quo facile unusquisque conjicere poterit, non lucrum aut commodum magnum, sed sumptuum duntaxat recuperationem hic spectari, cum nemo inveniatur, qui aliis docendis magnos sumptus impendens & laboris & sumptuum jacturam libenter facturus esset. Lubentii animo alios docere volo; Pecuniam addere, & jacturam facere nolo. Mundus ingens & spacioſus est: Ægorum qui auxilio indigent, numerus magnus: Ideò hoc laboratorium publicum, Deo volente, toti Generi humano plurimum commodi afferre poterit, & etiam

etiam afferet. In hoc Laboratorio omnes Furni,  
& omnia instrumenta, quorum in scriptis meis  
editis mentionem feci, & imagines depictæ ob  
occasions defectum addi non potuerunt, ut &  
eæ fornaces, eaque præla, & instrumenta, de qui-  
bus in 1. 2. 3. & 4. parte de Prosperitate Patriæ,  
Opere Vegetabili, aliisque scriptis meminimus,  
aut mentionem faciemus, oculis cernenda exhi-  
bebuntur, quod certè plurimis, qui à labore non  
abhorrebunt, in necessariis alimentis acquirendis  
maximo adjumento futurum erit.

Porrò omnia mea scripta hactenus edita, cum  
hinc inde ab aliis me inscio admodum negligen-  
ter & vitiosè imprimantur, eadem correcta, e-  
mendata, & figuris, quæ hactenus defuerunt,  
ornata & aucta iterum in lucem edam: Quod  
artis amatores & studiosos celare nolui. Hisce  
alteram Pharmacopœæ meæ Spagyricæ partem  
claudam, & tertiam propediem subjungam, uni-  
tè optans, ut meum hoc opus plurimorum ægro-  
rum commodo & solatio inservire possit. AMEN.

F I N I S.



Morgan Lee M.D.

H:

que noxturna nambula sunt